

*MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80153-8*

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
“Foundations of Western Civilization Preservation Project”

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

PRIDIK, EUGEN

TITLE:

ALEXANDRI MAGNI
EPISTULARUM...

PLACE:

DORPATI LIVONORUM

DATE:

1893

Master Negative #

91-80153-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88A/8
DP

Pridik, Eugen,
De Alexandri Magni epistularum commercio. Dis-
sertatio...quam...scripsit et...defendet Eugen Pri-
dik... Dorpati Livonorum, typis expressit C. Mat-
tiesen, 1893.
vi, 168 p. 22½ cm.

Thesis, Dorpat, 1893.

15571

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm

REDUCTION RATIO: 11

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 7/26/91

INITIALS A.T.



FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIM

Association for Information and Image Management




1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



Centimeter




Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DL-81A28



Alexander the Great 356-323 B.C.

De
Alexandri Magni epistularum commercio.

Dissertatio inauguralis
quam
ad magistri honores

ab amplissimo
historicorum et philologorum ordine Dorpatensi
rite impetrandos
scripsit et in publico defendet

Eugen Pridik.

Adversarii erunt:
Cand. phil. B. Bursy. — Prof. Dr. W. Hörschelmann. —
Prof. Dr. L. Mendelssohn.

Dorpati Livonorum.
Typis expressit C. Mattiesen.
1893.

Ex decreto ordinis historicorum et philologorum publici iuris factum.
Dorpati, d. IX. m. Februarii a. 1893.
№ 11. Dr. R. Mucke, h. t. decanus.

88A98
DP

Manibus patris carissimi

Friderici de Wenndrich.

COLUMBIA
UNIVERSITY
LIBRARY

Ex quo tempore Bentley¹⁾ via et ratione splendidissima certissimisque argumentis multas veterum epistulas, quae memoriae proditae sunt, falsas esse docuit, de omnium fere, quotquot memorantur, epistularum fide dubitare coeperunt homines docti; idque non sine causa. Vix enim dubitari potest, quin rhetores discipulis suis exercitationis causa epistulas scribendas proposuerint atque ipsi quoque artis ostentandae causa complures composuerint, quas alii errore pro veris haberent; deinde rerum scriptores ipsi epistulas fingeant, ut maiorem fidem haberet rerum relatio; neque vero obliviscendum est, cum Attali Ptolemaeiue bibliothecas suas instituerent, ut Galenus auctor est, sexcentos libros falsos pro veris venditatos esse, quorum in numero, quin etiam epistularum corpora fuerint, non dubito²⁾.

Sed nolim, quae dixi, ita accipi, quasi omnes epistulas fictas esse contendam: immo haud paucas etiamnum superstites veris auctorum nominibus inscriptas esse puto. Quamquam praeclarum illud Epicharmi: *ναρὲ καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν*³⁾ lex est philologiae una omnium gravissima, tamen etiam aliam legem oblivisci non debemus, nihil nobis prius pro ficto habendum esse, quam falsum certissimis argumentis probaverimus. Quare operae pretium est in epistularum fidem inquirere, ut dicere possimus, quatenam epistulae re vera sint datae, quaeque fictae.

1) R. Bentley, Dissertation upon the epistles of Phalaris, Themistocles, etc. Oxford 1699.

2) Galen: de nat. hom. I 42 p. 105 ed. Kuehn. et 2 prooem. p. 109 ed. Kuehn. Cf. A. Westermann: de epistularum scriptoribus Graecis commentationis pars I Lips. 1851. Ch. Huit, Les épistolographes grecs: Revue des études grecques II Paris 1889 p. 149 sq. F. Susemihl, Gesch. d. griech. Lit. in d. Alexandrinerzeit, Lpz. 1892 II p. 579.

3) Luc. Hermot. 47; Pol. XXXI, 21, 14.

In hac disputatiuncula equidem suadente Koehlero, praeceptore carissimo, de Alexandri Magni et de familiarium eius propinquorum imperatorumque epistulis disputare mihi proposui; mox, si Deo placet, de diadochorum epigonorumque, qui dicuntur, usque ad I a. Chr. s. epistularum fide verba faciam. Quaestio illa, quam magni momenti sit ad res Alexandri Magni pernosendas patet. Ob id ipsum, cum antea, tum proximis his annis homines docti diligenter Alexandri epistulas examinauerunt diversissimaeque proposuerunt: alii eas optimum fontem esse Plutarchumque, qui saepissime in Alexandri vita iis usus est, optime de historia meritum esse contendunt; alii eas omnes fere fictas nulliusque momenti esse putant ad historiam Alexandri scribendam. Itaque cum adhuc sub iudice lis sit¹⁾, spero mihi veniam duros homines doctos, quod de materie persaepe tractata denuo disputare conatus sim. Quaestio sane est difficillima, quare, si aliquantum ad eam expediendam contulero, satis superque mihi fecisse videbor.

His quae dixi facere non possum quin addam, disputationem hanc iam aestate a. 1892 confectam esse atque gravi morbo aliisque de causis, quas singulas adferre nolo, factum esse, ut nunc demum publici iuris fiat. Cum quo loco nunc domicilium habeo facultas mihi non data fuerit libros ad eandem rem pertinentes, qui fortasse interea in lucem prodierint, inspiciendi, me excusatum volo, si qui libri ex eo tempore editi a me non sint adhibiti.

Superest ut gratias quam maximas agam sodali amicissimo Arthuro Brock, qui plagulas corrigendi laborem mecum partitus est.

1) cf. etiam A. de Gutschmidii verba apud J. Kaerst. Forschungen zur Geschichte Alexanders des Grossen, Stuttgart 1887, praef. p. V: „über diese Frage von ganz hervorragender Bedeutung dürfte noch immer das letzte Wort nicht gesprochen sein.“

Scribebam Revaliae
mense Martio a. 1893.

Argumenta.

	pag.
Prooemium	1
I. De Alexandri Magni epistulis (nn. 1—71)	17
1. Alexandri epistulae ad Graecos. (nn. 1—18)	18
a) ad Athenienses (p. 18); b) ad Plataeenses (p. 27); c) ad Prienienses (p. 27); d) ad Chios (p. 30); e) ad Mytilenaeos (p. 33); f) ad Eresios (p. 33); g) ad Calymnaeos (p. 34); h) ad universos Graecos (p. 35).	
2. Alexandri epistulae ad Dareum et Darei ad Alexandrum missae (nn. 19. 20)	39
3. Alexandri epistulae ad duces (nn. 21—43)	57
a) ad Antipatrum (p. 57); b) ad Parmenionem (p. 72); c) ad Menetem (p. 77); d) ad Clitum (p. 78); e) ad Ptolemaeum (p. 78); f) ad Cleomenem (p. 79); g) ad Philoxenum (p. 81); h) ad Hagnonem (p. 81); i) ad Craterum, Attalum, Alcetam (p. 81); k) ad Cleandrum, Sitalcem, Menidam (p. 81); l) ad Eudemum et Taxilem (p. 82); m) ad satrapas (p. 83).	
4. Alexandri epistulae ad Philippum patrem (n. 44)	86
5. Alexandri epistulae ad Olympiadem matrem (nn. 45—48)	87
6. Alexandri epistulae ad praeceptores, amicos, alios (nn. 49—62)	90
a) ad Aristotelem (p. 90); b) ad Leonidam (p. 91); c) ad Phocionem (p. 92); d) ad Peucestam (p. 92); e) ad Hephæstionem (p. 93); f) ad amicos, Peucestam, Megabyzum, alios (p. 93); g) ad Alexippum medicum (p. 93); h) ad Pausaniam medicum (p. 93); i) ad Philotam (p. 94); k) ad Scytharum regem (p. 95); l) ad milites (p. 96); m) ad Iudaeorum pontificem (p. 96); n) ad Romanos (p. 97).	
7. Alexandri epistulae nescio ad quem datae (nn. 63—71)	100
II. Epistulae ad Alexandrum Magnum scriptae (nn. 72—114)	115
1. Epistulae ducum (nn. 72—85)	115
a) Attali (p. 115); b) Antipatri (p. 115); c) Parmenionis (p. 118); d) Philotae (p. 121); e) Ptolemaei et Asandri (p. 121); f) Philoxeni (p. 122); g) Hagnonis (p. 122); h) Leonnati (p. 122); i) Crateri (p. 122); k) Cleomenis (p. 124); l) Cratetis Chalcidensis (p. 124).	
2. Darei, Sisygambis satraparumque Darei ad Alexandrum epistulae (nn. 86—93)	125
a) Darei (p. 125); b) Sisygambis (p. 126); c) Hegesistrati (p. 127); d) Tiridatis (p. 127); e) Nabarzanis (p. 127); f) satraparum quorum nomina non adferuntur (p. 130).	
3. Philippi et Olympiadis ad Alexandrum epistulae (nn. 94—101)	
a) Philippi (p. 130); b) Olympiadis (p. 131).	
4. Aristotelis ad Alexandrum epistulae (nn. 102—107)	
5. Variarum ad Alexandrum epistulae (nn. 108—114)	152
a) Theopompi (p. 152); b) Demosthenis (p. 154); c) Isocratis (p. 155); d) Dioxippi (p. 157); e) Androcydis (p. 158); f) Pori et Taxilis (p. 158); g) Calani (p. 159).	
Addenda	162

Errata.

	Scriptum.	Legendum.
pag. 32 v. 11 a. i.	valuit	voluit
" 52 v. 1 st		est
" 71 v. 9	meminem	neminem
" 77 not. 1	Mionn, et	Mionnet
" 128 v. 12 a. i.	auctore	auctore
" 129 v. 7	missos	missas

Prooemium.

Priusquam ad singulas epistulas examinandas aggrediar, liceat mihi breviter nonnulla in universum praefari.

Ac primum quidem de hominum doctorum, quae adhuc prolatae sunt, sententiis dicam. Iam vero primo loco de iis hominibus doctis dicam, qui epistulas omnes veras esse putent.

Qui primus de rerum Alexandri Magni scriptoribus uberius scripsit, St. Croix¹⁾, Plutarchum epistulas ephemeridesque Alexandro adscriptas novisse, sed nos nescire dixit, utram ex corpore epistularum eas sumpserit, necne; de fide eorum nihil dixit. Schoell et Heeren²⁾ de epistularum γνησιότητι minime dubitant; nihil enim se in iis invenisse dicunt, quod rhetorum scholas redoleret idemque Alexandri ingenio indignum dici posset; collectas vero eas in unum esse non ita multo post regis mortem. Prorsus eadem est sententia Onckeni et Hanseni³⁾, praeterquam quod Plutarchum

1) St. Croix, Examen critique des anciens historiens d'Alexandre le Grand, Paris 1804 p. 46 et p. 78. De hoc libro rectissime iudicavit B. G. Niebuhr, Bonner Vorträge über alte Geschichte II Berlin 1848 p. 423: „eine Arbeit, die für deutsche Philologie sehr ungenügend ist und dafür so gut als nicht existierend betrachtet werden muss.

2) A. Schoell, Griech. Litgesch. II p. 399 transl. Pinderi, Berlin 1828. A. H. L. Heeren, De fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi, Göttingen 1820 p. 60.

3) W. Oncken, Die Staatslehre des Aristoteles, Leipz. 1870 II p. 280. R. Hansen, Ueber die Echtheit der Briefe Alexanders des Grossen, Philol. XXXIX 1880 p. 258 sq. Hansen unus sententiam suam probare studuit, cum ceteri omnes rem breviter attingerent. Huit l. l. p. 161 Hansenio videtur assensus esse.

epistulas ex Eumenis Diodotique ephemeridibus regiis hausisse suspicantur. Fraenkel¹⁾ epistulas Alexandri, Olympiadis, Antipatri collectas esse dicit, in quot autem corpora fuerint collectae omnino esse incertum. Plutarchum corpora illa, quae ei essent praesto, inspexisse, nonnullas autem epistulas etiam ex aliis scriptoribus sumpsisse. Verbo attigisse sat erit etiam Schneiderum omnes fere epistulas, quas in programmate suo adfert, veras esse putare aequae atque Grotium et Thirlwallium²⁾ in historiis suis. Denique non alienum videtur hoc loco commemorare Gutschmidium³⁾, hominem harum rerum peritissimum, saepissime in lectionibus exercitationibusque contendisse, epistulas Alexandri esse veras optimeque fieri potuisse, ut Plutarchus ipse corpus eorum inspiceret.

Deinceps de iis hominibus doctis dicendum est, qui epistulas omnes fere subditivas esse putent. Westermann⁴⁾, homo doctissimus et de epistularum scriptoribus Graecis optime meritus, valde dubitat, num scriptores rerum Alexandri aetate suppare veris eius epistulis uti potuerint ac voluerint, immo maximam certe epistularum partem secundum optimorum scriptorum exemplum ab ipsis si non omnino inventas, at imitatione saltem expressas, suisque non regis verbis con-

1) A. Fraenkel, Die Quellen der Alexanderhistoriker, Breslau 1883 p. 100; 300; 325 etc. Liber ille Fraenkelii summa diligentia compositus non multum attulit utilitatis.

2) R. Schneider, Olympias, Zwickau progr. 1885. G. Grote, History of Greece, London 1869. C. Thirlwall, History of Greece 6 et 7, London 1839/43. Singulas disputationes, Petersdorff, Laudien, Klotz etc., hoc loco, ubi in universum de hominum doctorum sententiis ago, non persequor.

3) Gutschmidii verba, quae sodalis meus C. E. Gleye liberalissime mecum communicavit, haec sunt: „die Briefsammlung des Alexander, die Arrian und Plutarch benutzt haben, scheint eine ganz authentische Sammlung gewesen zu sein. . . Die Briefe haben aber keine politischen Zwecke gehabt . . . er wollte nur unterhalten, daher sind sie auf Effect berechnet . . .“

4) Westermann, l. l. pars II Lips. 1852 p. 5 sq. Westermann primus indicem epistularum Alexandri adiecit, sed non plenum.

ceptas esse putat. Praeterea Alexandrum ab epistularum fabricatoribus omitti potuisse prorsus esse incredibile; Plutarchum certe, quas proferret, epistulas ex colluvie epistularum Alexandri hausisse. Similiter de epistulis iudicaverunt Mueller, Rose, Schoene, Schaefer, Freeman, Vogel, Ranke, Schuffert¹⁾.

Reliquum est, ut eos homines doctos enumerem, qui epistulas partim veras, partim fictas esse contendunt, quorum in numero me quoque esse profiteor. In primis vero nominandus est Droysen²⁾, qui breviter ille quidem, sed optime de his rebus egit. Rectissime enim dicit non solum epistulas ab oratoribus illius aetatis allatas vel in inscriptionibus publicis servatas esse veras, sed etiam optime fieri posse, ut inter epistulas, quas scriptores proferant, sint bonae; quare de singulis epistulis quaerendum esse, utrum sint verae, necne. Droysen ipse de nonnullis epistulis breviter disputavit. Deinde Kaerst³⁾ de Alexandri epistulis, quas Plutarchus adfert, breviter disputavit atque censet epistulas illas pro fide dignis haberi non posse, quare ea, quae tradant, ad optimorum scriptorum memoriam exigenda esse. Contra epistulas prorsus privatas fortasse esse veras, quamquam etiam inter eas fictae

1) C. Mueller: praef. ad Pseudo-Callisthenem p. XVIII sq. in calce Arriani editionis Didotianae, Paris 1846. V. Rose, De Aristotelis librorum ordine et auctoritate, Berlin 1854 p. 113. A. Schoene, Analecta philologica historica I: de rerum Alexandri Magni scriptorum imprimis Arriani et Plutarchi fontibus, Lips. 1870 p. 31. A. Schaefer, Fl. Jhb. 1870. CI p. 443; Schaefer novum adiecit epistularum, quae in Plutarchi vita commemorantur, indicem. E. Freeman, Historical essays, second series, London 1873 p. 168 et adn. L. de Ranke, Weltgesch. III 2 p. 73 Lpz. 1883. A. Vogel, Ueber die Quellen Plutarchs in der Biographie Alexanders, Colmar progr. 1877 p. 4 et multis aliis locis. Schuffert, Alexander des Grossen indischer Feldzug, Colberg 1886 p. 6.

2) J. G. Droysen, Geschichte des Hellenismus I: Geschichte Alexanders des Grossen, Beilage II p. 399 sq. Gotha 1877.

3) Kaerst, l. l. p. 107 sq. Kaerstio assensus est B. Niese, Deutsche Litzzeit. 1888 p. 1749: „(d. Briefe) deren Beglaubigung der Verfasser nicht ohne Grund, aber ohne vollständige Erörterung anzweifelt.“

esse possint; privatas illas epistulas Plutarchum ex Charetis de Alexandri vita libro deprompsisse.

Haec sunt, quae de hominum doctorum sententiis mihi praeponenda videbantur; etsi plures de epistulis sententias dixerunt, tamen plerumque eas argumentis non confirmaverunt. Sunt, quod ego sciam, duo, qui etsi non omnes, tamen complures epistulas diligenter tractaverint, Hansen et Kaerst, ceteri omnes eas breviter attigisse satis habuerunt¹⁾.

Restat locus huic praefationi vel maxime necessarius de epistulis ipsis earumque corporibus. Ac primum quidem nonnulla de epistulis dicenda sunt.

Frequens intercessisse epistularum commercium Alexandri successorumque eius temporibus cum per se sit verissimum tum certissimis documentis probatur²⁾: permultae enim epistulae et ab oratoribus scriptoribusque ei aetati supparibus commemorantur et in inscriptionibus lapidibus incisae servatae sunt³⁾. Cuius rei causae in promptu sunt: nam cum regna late paterent principesque ea ad arbitrium suum administrarent, per epistulas edicere debebant, quae fieri vellent. Sic memorantur epistulae ad satrapas⁴⁾, ad Graecos⁵⁾, ad du-

1) Cum iam in eo esset, ut disputatio mea typis exscriberetur, accepi M. Adleri commentationem, De Alexandri Magni epistularum commercio Lips. 1891, quare eius nisi in adnotationibus rationem habere non potui. Adleri commentatio mea quidem sententia satis neglegenter est scripta: complures enim omisit locos et probandi onere saepe se liberavit, quare liber eius non multum attulit utilitatis.

2) Etiam homines humili loco natos epistulas scripsisse ex narratiuncula a Diodoro XVII 80, 4 relata patet: τὸς ἐν ταῖς ἀποσταλείσαις εἰς Μακεδονίαν ἐπιστολαῖς ἀλλότριόν τι γεγραφέναι τοῖς οἰκείοις περὶ τῶν τῇ βασιλεῖ συμφερόντων εἰς ἐν κατέλεξε ἕστῃμα κτλ. Idem commemorant Curt. VII 2, 36; Just. XII 5, 6; Polyæn. IV 3, 19; Exc. Polyæni 6, 3.

3) Exempli causa adfero CIG 2166. 2254. 2671. 2852. 3137. 3596. 4474 etc.: suo loco alias adferam.

4) Athen. XI 784 ab; Diod. XVII 106, 3; XVIII 7, 3 etc.

5) saepissime: Plut. Alx. 34; Diod. XVIII 8, 4; Athen. XII 539 f. sq.; Ditt. Syll. 158. 166. 192. 195. CIG 2166. 2254. 2671. Collection of anc. gr. inscr. in the brit. Mus. III, 1: 400. 402. 403. 412. 441. 442. Collitz, Dial. inscr. I 281. 345; Philol. XVII p. 344 etc. etc.

ces¹⁾, ad sacerdotes templorum sanctissimorum²⁾, ad alios reges³⁾; rursus habemus etiam epistulas satraparum⁴⁾, sacerdotum⁵⁾, ducum⁶⁾ ad reges neque dubium est, quin homines privati rogationes libellosque per epistulas ad reges miserint. Omnia, quae attuli, epistularum genera publica sunt; ad epistulas illas pertinent quodammodo etiam epistulae, quas Alexander de rebus a se gestis ad Antipatrum ex Asia mittebat. Praeterea reges familiaribus, praeceptoribus, amicis, hominibus doctis, propinquis, philosophis frequentes epistulas misisse et accepisse vel per se intellegitur; quae epistulae privatae prorsus seiungendae sunt a publicis⁷⁾, sed num inter se etiam specie differant omnino dici non potest, cum perpauca parvulaque epistularum privatarum fragmenta remanserint.

Epistulas reges non ipsi scribebant, sed homines insigni loco nati apud eos scribarum (γραμματεὺς) munere fungebantur; sic Eumenes Cardianus⁸⁾ apud Philippum, Alexandri pa-

1) Arr. III 19, 8; 26, 3; VI 27, 2; VII 23, 6; Plut. Alx. 55, 3 etc.

2) Ditt. 170.

3) Arr. IV 5, 1. Ditt. Syll. 171. Journ. of hellen. stud. IX p. 230.

4) Arr. VII 12, 6; Just. XII 1, 4; Curt. VI 6, 20 etc.

5) CIG 4896.

6) Athen. XI 781 f. sq.; XIII 607 f. sq.

7) De usu numerorum singularis vel pluralis pronominis personalis et verbi (ἐγώ, ἡμεῖς, ἐγράψαμεν etc.) in epistulis publicis nulla fuisse certa lex videtur: ex inscriptionibus enim scriptoribusque discimus, reges etiam in epistulis publicis persaepe singularem numerum usurpasse, velut: Collitz 345; Ditt. Syll. 192. 195. 170. CIG 4474; Coll. of anc. gr. inscr. of the brit. Mus. III 1 n. 412; Plut. Alx. 22, 2; 28, 1; Arr. An. II 14; VII 23, 6 etc. Illud vero pro certo habeo, reges in epistulis publicis solis plurali numero usos esse, numquam in privatis; in epistula Alexandri ad Leonidam praeceptorem Plut. Alx. 25, 4 sane scriptum legimus: ἀπεστάλακέν σοι λιβανωτόν etc, sed ibi levissima mutatione pluralis tollitur: ἀπέσταλα μὲν σοι etc. (de fide epistulae infra erit dicendum). Falso igitur Hicks, Coll. of gr. inscr. III 1 p. 27 dixit: „letters of the greek kings usually exhibit the first person plural; the Roman emperors used the singular.“

8) Nep. Eum. 1; Plut. Eum. 1. Arr. V 24, 6 et VII 4, 6 eum simpliciter γραμματεὺς, non ἀρχιγραμματεὺς appellat.

trem, et apud Alexandrum scriba (ἀρχιγραμματεύς) fuit. Item Polybius V 54, 12 commemorat Tychonem sub Antiocho Magno ἀρχιγραμματέα τῆς δυνάμεως fuisse et sub anno 197 de Philippo V dicit XVII 1: συνῆσαν αὐτῷ Μακεδόνες μὲν Ἀπολλίδωρος καὶ Δημοσθένης οἱ γραμματεῖς (Liv. XXXII 32, 12 eos simpliciter principes Macedonum appellat). Praeterea Dionysium quendam apud Antiochum Epiphanem scribam (ἐπιστολογράφος vel ἐπιστολιαγράφος) fuisse ex Polybio apud Athen. V 195^b discimus. Etiam apud reges Aegyptiorum regii scribae erant, qui ἐπιστολογράφοι vocantur; cum in obelisco Philarum ¹⁾ inveniamus Νουμηνίῳ τῷ συγγενεῖ καὶ ἐπιστολογράφῳ, in magna stela Taurinensi ²⁾ Καλλίμαχος συγγενῆς καὶ ἐπιστολογράφος etc. et cum aliunde constet cognomine συγγενῆς nisi summos magistratus non esse appellatos, velut συγγενῆς καὶ στρατηγός ³⁾ etc., sequitur, ut ἐπιστολογράφοι inter summos magistratus recensendi sint.

Epistulae publicae ut omnes tabulae publicae nimirum in tabulariis civitatum, templorum, regum magistratuumque, ad quos datae erant, asservabantur, id quod insuper nonnulli scriptorum loci indicant ⁴⁾; permultae etiam lapidibus incidebantur, ita ut iis, qui epistulas in unum colligere vellent, facul-

1) CIG 4896 I. 14. Cf. de ἐπιστολογράφοις U. Wilcken, Hermes XXII p. 10 et Peyron, Papyri Graeci I p. 64, Turin 1826. M. Letronne, Recueil des inscriptions gr. et lat. de l'Égypte p. 350 sq. Paris 1842.

2) CIG 4717.

3) CIG 4896 A I. 8.

4) Sic Diod. XVIII, 48, 2 commemorat post Perdiccae mortem ἐν τοῖς βασιλικαῖς γράμμασι Demadis ad Perdiccam epistulam inventam esse propter quam Demades occisus est (nam ἔγραψε Περδίκκῃ σφῆξιν τοὺς Ἕλληνας ἀπὸ σαπροῦ καὶ παλαιῦ στήμονος (i. e. ab Antipatro) ἡρημένους. Arr. τὰ μετὰ Ἰλ. apud Phot. bibl. 92 (124 H 219 R); Plut. Dem. 31, 2; Phoc. 30, 4). Aliud est exemplum Plut. Eum. 2, 3, ubi Eumenis tabernaculo incendio absumpto Alexander τοῖς πανταχοῦ σατράπαις καὶ στρατηγοῖς scripsisse dicitur ἀντίγραφα τῶν διαφθαρμένων (sc. γραμμάτων) ἀποστέλλειν. Etiam Plut. Eum. 16, 3 huc pertinet: Εὐμένης . . . τὰ γραμματεῖα κατέσχισε καὶ διέφθειρε, οὐ βουλόμενος αὐτοῦ τελευτήσαντος ἐκ τῶν ἀπορρήτων αἰτίας καὶ συκοφαντήματα τοῖς γράψαι γενέσθαι.

tas data esset, veras epistulas quaerendi. Non dubito, quin praeterea etiam in tabulariis regiis exemplaria graviorum epistularum remanserint. Epistulas privatas quoque asservatas esse ab hominibus, qui eas accipiebant, non est quod probem; Plut. Eum. 16, 3, quem locum p. 6 n. 4 exscripsi, etiam huius rei documento esse potest.

Sed de epistulis hactenus; iam vero de epistularum collectionibus dicendum est quaerendumque primum, num re vera antiquitus tales epistularum regiarum collectiones fuerint et quot commemorentur; deinde unde ii qui epistulas collegerint eas sumpserint; tum quando collectiones factae sint; denique quinam scriptores collectionibus usi sint.

Primum igitur quaerendum est, fuerintne antiquis temporibus epistularum regiarum collectiones, necne, et quot probari possint. Iam vero veras epistularum collectiones fuisse sine ulla dubitatione contendere potest, nam ni ita esset, epistularum collectiones non essent fictae. In eandem sententiam scripsit Wilamovitz ¹⁾: „Ich kann mir nicht vorstellen, dass fictive Briefwechsel als Litteraturgattung aufgekommen wären, ehe es ächte gab. Die Existenz einzelner gleich für die Publikation geschriebener Briefe ist wesentlich von einer Privatcorrespondenz verschieden, wie die aristotelische und epikureische war.“ Atque etiamnum exstant vestigia, quibus apparet, regiarum quoque epistularum collectiones re vera exstitisse. Primo vero loco adferendum est Suidae testimonium, s. v. Ἀντίπατρος· κατέλιπε Ἐπιστολῶν σύγγραμμα ἐν βιβλίῳ δυοῖ καὶ ἱστορίαν, τὰς Περδίκκου πράξεις Ἰλλυρικὰς ²⁾. Frequens intercedere debuit epistularum commercium inter Antipatrum et Alexandrum, cum hic in Asia versaretur, ille vero domi

1) U. de Wilamovitz, Antigonos von Karystos, Berlin 1881 p. 151 n. 15. Wilamovitz l. l. coniecit Aristotelis epistularum collectionem primam fuisse, quae edita esset.

2) Westermann l. l. II p. 13 Suidam Antipatrum Macedonem cum Hierapolitano confudisse dicit, sed erravit vir doctissimus mea quidem sententia. De fide historiae Illyricae minime dubitavit Schaefer Demosth. II³ p. 16, neque equidem de ἐπιστολῶν συγγράμματος fide dubitandum esse puto. Cf. etiam Sussehl, l. l. p. 594 n. 62, qui tamen falso de fide collectionis dubitavit.

relictus esset, ut Macedoniam Graeciamque administraret, non solum de rebus bello gestis, sed etiam de administratione et de rebus privatis; item quin Antipater Olympiadi, Eumeni aliisque ducibus frequenter epistulas miserit et acceperit non est dubium; denique ei summam necessitudinem familiaritatemque, ergo etiam epistularum commercium intercessisse cum Aristotele vel ex eo perspicuum est, quod Cassander, Antipatri filius, Aristotelis erat discipulus, praecipue autem ex eo, quod, ut Diogenes Laertius V 1, 11 auctor est, Aristoteles Antipatrum ἐπίτροπον μὲν εἶναι πάντων καὶ διὰ παντὸς Ἀντίπατρον testamento suo iussit esse: neque unquam, ni ita esset, fama tulisset, Aristotelem Antipatrum in Alexandri veneficio adiuvisse. Cf. E. Zeller, Die Philosophie d. Griechen, Lpz. 1879 II 2 p. 34 n. 2. Has epistulas equidem Antipatrum in duobus illis, quos Suidas commemorat, epistularum libris edidisse conicio, si non omnes, at certe graviores. Etiam causa, cur eas ediderit, intellegi potest: scriptores enim Alexandri Magni res non ad historiae fidem, sed prorsus fabulose scripserunt iisque Alexander omnia fere divina ope usus fecisse videbatur. Quorum refellendorum causa equidem Antipatrum epistulas edidisse conicio, ut demonstraret, Alexandrum ipsum in epistulis suis ἀκριβῶς, sed οὐδὲν τερατευσάμενον res a se gestas descripsisse; qua quidem editione non multum effecit. De Antipatro Suidas s. v. tradit: μόνος δὲ τῶν διαδόχων θεὸν καλέσαι Ἀλέξανδρον οὐχ εἴλετο, ἀσεβὲς τοῦτο κρίνας, quod mihi coniecturam meam confirmare videtur. Epistulae ad Antipatrum missae, quae a scriptoribus imprimis a Plutarcho commemorantur, omnes fere verae esse videntur.

Deinde ex Plutarcho discimus etiam Eumenis epistulas fuisse collectas: Plut. Eum. 11, 2 ἦν δὲ . . . εἰπεῖν οὐ δεινός, αἰμύλος δὲ καὶ πιθανός, ὡς ἐκ τῶν ἐπιστολῶν συμβάλλειν ἐστίν. Optime scio esse homines doctos, qui Plutarchum epistulas non ipsum vidisse, sed ex auctore suo, quae tradit, sumpsisse contendunt; sic Reuss¹⁾ eum ex Hieronymo, Schu-

1) F. Reuss, Hieronymus von Kardia, Berlin 1876 p. 131.

bert¹⁾ vero ex Agatharchide hoc de Eumene iudicium deprompsisse coniciunt. Si Reuss vere de hoc loco iudicasset, non necessarium esset ex his Plutarchi verbis colligere Eumenis epistulas fuisse collectas; nam Hieronymus Cardianus tam arta amicitia cum Eumene erat coniunctus, ut de eius epistulis et de eius dicendi genere etiam sine collectione iudicare potuisset. Idem valet de Schuberti sententia, qui Plutarchum ex Hieronymo per Agatharchidem hausisse opinatus est. At Reussium et Schubertum iniuria tam male de Plutarcho iudicasse puto; qui homo litteratissimus etsi nonnulla ex aliis scriptoribus sumpserit, tamen plerumque fontes primarios ipsos adibat, neque persuadere mihi possum eum tam miserum scriptorem fuisse, ut aliorum iudicia simpliciter adferret atque simularet se epistulas ipsum vidisse²⁾; sane fuit homo minime criticus et „ein völlig unhistorischer Kopf“, ut Gutschmid optime de eo dixit. Itaque Eumenis epistularum collectionem Plutarcho praesto fuisse puto.

Item ex Plutarchi vita Alexandri patet eum epistularum Alexandri collectionem habuisse diligentissimeque ea usum esse: identidem enim ad epistulas recurrit, interdum etiam quasi librum epistulas adfert, velut c. 8, 1; 17, 4; 60 ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς. Sic etiam epistulas commemorant Hesychius s. v. Ἀροπάνοι, γητικά, σκαῖδος, Athenaeus XI 784^{ab}, Plinius, hist. nat. VI, 63. Quenam epistulae in hac collectione fuerint, utrum eae tantum, quas Alexander ipse scripserit, an etiam quas acceperit, prorsus incertum est.

Adferuntur porro ab Athenaeo XI 784^{ab} corpus epistularum Alexandri ad satrapas Asiae³⁾ et corpus epistularum

1) R. Schubert, Die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen des Eumenes, Demetrius und Pyrrhus, Fl. Jhb. Suppl. IX (1878) p. 668.

2) Cf. etiam A. de Gutschmid, Kl. Schr. I p. 28 Lpz. 1889. Fraenkel, l. l. p. 325. J. Lezius, De Alexandri Magni expeditione Indica, Dorpati 1887 p. 9 etc.

3) Athen. XI 784^{ab}: Ἀλέξανδρος . . . ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ταῖς πρὸς τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ σατράπας.

Parmenionis ad Alexandrum¹⁾; denique non dubito, quin Olympiadis, Cleomenis, aliorum satraparum Alexandri amicumque epistulae collectae fuerint, sed quot fuerint collectiones dici omnino non potest.

Diadochorum epigonorumque epistularum nulla in scriptoribus inveniuntur collectionum vestigia, quamquam persaepe epistulae laudantur, excepto Ptolemaeo Lagi filio, cuius epistulas a Dionysodoro quodam collectas fuisse Lucian. de lapsu in sal. 10 tradit. Praeter veras illas collectiones quin etiam subditivae fuerint non est dubium; ex qua epistularum colluvie sine dubio sumpta est epistula Crateri ad Aristopatram matrem²⁾ aliaeque, quas hoc loco adferre non iuvat.

Deinceps, ut erat propositum, quaerendum est, unde ii, qui epistulas collegerint, eas sumpserint. Hansen³⁾ Plutarchum aliosque scriptores epistulas ex ephemeridibus regiis ab Eumene Diodotoque editis, ubi collectae essent, sumpsisse dicit; quod etsi probari non possit, tamen coniecturam esse maxime verisimilem: in ephemeridibus enim epistularum summaria infuisse, qua re etiam factum esse, ut epistularum privatarum fragmenta servarentur (sic et in epistulis⁴⁾ et in ephemeridibus⁵⁾ de venatione aliisque Alexandri occupationibus dictum esse); ita quidem etiam intellegi posse, quomodo Clitarchus⁶⁾ nonnullis epistulis uti potuerit. Ea sententia Onckenii Hansenique tantum abest, ut mihi placeat, ut eam prorsus falsam esse contenderim; utique enim animo eas ephemerides nobis effingere debemus. Ex ephemeridum frag-

1) Athen. XI 781^f 782^a: Παρμενίων . . . ἐν ταῖς πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολαῖς. Unam ex iis adfert XIII 607^f 608^a.

2) Strabo XV p. 702 (1, 35 Mein.) ἐκδέδοται δὲ τις καὶ Κρατεροῦ πρὸς τὴν μητέρα Ἀριστοπάτραν ἐπιστολὴ πολλὰ τε ἄλλα παράδοξα φράζουσα καὶ δρολογουσα οὐδενὶ καὶ δὴ καὶ τὸ μέχρι τοῦ Γάγγου προελθεῖν τὸν Ἀλέξανδρον κτλ.

3) Hansen l. l. p. 304. Hansen hac in re Onckenium l. l. II p. 280 secutus est.

4) Plut. Alx. 41.

5) Plut. Alx. 23.

6) De hac re infra, cum de epistulis, quas Plutarchus Alx. 20 et 46 adfert, verba faciemus, erit dicendum.

mentis, quae perpauca, quod valde dolendum, exstant¹⁾, videmus nihil in iis nisi breviter, quod cotidie in aula regia evenerit, relatum esse²⁾; quonam loco in iis epistularum summaria interdum satis longa (velut de pugna cum Poro facta) inserta fuerint, omnino non intellego: maxime cogitari possit, quamquam ne hoc quidem concedo, epistularum initia in iis relata fuisse, velut: „allata est“ vel „data est epistula, cuius initium hoc fuit“, vel tale aliquid, sed accurata summaria nullo pacto mea quidem sententia in iis fuisse possunt. Iam supra p. 5 dixi prorsus seiungendas esse epistulas publicas a privatis. Ac publicas quidem ex tabulariis titulisque collectas esse potuisse per se intellegitur; quaeritur autem, ubi Alexandri Magni tabularium post mortem eius remanserit. De hac re nihil compertum habemus; Chaldaei quidem astronomi post Alexandri mortem in Aegyptum migraverunt, sed tabularium quoque illuc esse translatum nusquam traditum est. Equidem tabularium Babylone mansisse puto, teste usus Strabone II 1, 6 (p. 69 C), qui imperii ἀναγραφὴν Patrocli a Xenocle thesauri custode (γαζοφύλαξ) datam esse tradit; Xenoclem autem Droysenium I 2 p. 399 secutus γαζοφύλακος munere apud Seleucum I, non apud Alexandrum functum esse puto, quod Meineke, Benseler, alii contenderunt. Sed ubicunque terrarum tabularium illud Alexandri remansit, iam supra vidimus permultas epistulas easque gravissimas ab Antipatro in duobus illis epistularum libris editas esse, ita ut cuique facultas data esset veris Alexandri epistulis utendi publicis. Praeter tabularium, ut ita dicam, publicum reges etiam privatum quasi tabularium habuisse ex scriptoribus discimus; sic traditur (Diod. XVIII 48, 2) ἐν τοῖς βασιλικαῖς γράμμασι Demadis epistulam ad Perdiccam inventam esse;

1) Muelleri fragmentorum collectio in calce Arriani editionis Didotianae p. 121 sq. omnino non est plena; plures attulit locos Schoene l. l. p. 38.

2) De ephemeridibus Droysen l. l. I 2 p. 384 similiter iudicavit, sed erravit vir doctissimus, cum exemplaria earum ad satrapas esse missa diceret; quid enim satraparum scire intererat, Alexandrum ebrium fuisse vel vulpes avesque venatum esse?

(Diod. XVIII 4, 2) Perdiccam ἐν τοῖς ὑπομνήμασι τοῦ βασιλέως (i. e. Alexandri) invenisse τὴν τε συντέλειαν τῆς Ἡφαιστίωνος πυρᾶς . . . τὰς τε λοιπὰς αὐτοῦ ἐπιβουλάς etc.; quo pertinet etiam Plut. Eum. 16, 3 (cf. p. 6 n. 4).

Epistulas ergo publicas equidem, ut paucis sententiam meam complectar, praeter collectionem ab Antipatro factam ex tabulariis collectas esse puto; epistularum vero privatarum mihi non eadem fuisse ratio videtur. Epistulae privatae commemorantur Alexandri ad amicos propinquosque, amicorum propinquorumque ad Alexandrum, Aristotelis ad Antipatrum; praeter eas nullarum fit mentio. Ac de epistulis Alexandri ad amicos propinquosque Kaerst¹⁾ vere iudicavit, cum eas ex Charetis de Alexandri vita libro a Plutarcho haustas esse dixit. Quamquam dubito, num Plutarchus eas ipse ex Charetis libro excerpserit, immo eum epistulas ex Charete per Duridem deprompsisse puto. Scriptum enim legimus apud Plut. Phoc. 17: ὁ γοῦν Δοῦρις εἴρηκεν, ὡς μέγας γενόμενος καὶ Δαρείου κρατήσας ἀφείλε τῶν ἐπιστολῶν τὸ Χαίρειν πλὴν ἐν ὅσαις ἔγραψε Φωκίῳν . . . Τοῦτο δὲ καὶ Χάρης ἱστόρηκε. Ex hoc loco discimus, Duridem de epistulis Alexandri uberius verba fecisse Plutarchumque hunc locum ex Duride deprompsisse; Charetem vero idem narrasse ex Duride Plutarchus vidit. Cum vero epistulae privatae fere omnes in c. 39 — 42 insint Durisque sine dubio dictorum narratiuncularumque fuerit amantissimus, Duridem epistularum illa c. 39 — 42 fragmenta ex Charetis libro collegisse, Plutarchum vero Duride, non Charete ipso usum esse conicio; quamquam quin Charetis quoque liber

1) Kaerst l. l. p. 117: „es scheint mir nicht unwahrscheinlich, dass Chares, der ja gerade die Lebensweise des Königs besonders ausführlich beschrieben haben muss, zur Illustration des Charakters des Königs solche Briefe mitgeteilt, und dass Plutarch dieselben den Aufzeichnungen dieses Autors entnommen habe.“ Hansen l. l. p. 304 minime esse verisimile dicit Charetem epistulas edidisse, cum apud Plut. Alx. 20 Charetis testimonium cum Alexandri epistula pugnaret; sed non distinxit vir doctissimus epistulas publicas a privatis: publicae enim a Charete non sunt editae, privatas tamen in libro eius de Alexandro commemoratas esse puto.

Plutarcho praesto fuerit non dubito, sed colligendi taedio Plutarchum se liberasse puto, cum iam apud Duridem electos ex epistulis locos haberet. Deinde epistulae amicorum propinquorumque ad Alexandrum et ex Charetis libro sumptae esse et in collectionibus ex tabulariis factis infuisse possunt; denique quin Aristotelis epistulae ad Antipatrum in epistularum illo συγγράμματι ab Antipatro edito infuerint non est dubium.

Iam vero, quoniam hic erat locus tertius, sequitur, ut quaeratur, quando collectiones factae sint. De hac re certi nihil dici potest. Antipater quidem anno 319 mortuus est, quare ἐπιστολῶν σύγγραμμα ab eo inter annos 323 et 319 confectum esse statuendum est. Equidem epistularum collectiones non ita multo post Alexandri mortem quarto saeculo exeunte vel tertio ineunte factas esse coniecimus; puto enim iam Duridem Hieronymumque collectionibus illis usos esse: Diodorus enim, qui Hieronymo usus est in libris XVIII—XX¹⁾ (utrum eum ipse excerpserit necne hoc loco non persequor), tam multas epistulas commemorat et complures etiam fere ad verbum transcribit, ut Hieronymo collectionem praesto fuisse statuamus necesse sit, nisi forte Hieronymum ipsum epistulas sibi collegisse sumimus. Etiam glossae Hesychianae nihil ad hanc de aetate quaestionem solvendam conferunt: exstant enim in Hesychio tres glossae: Ἄροπάνοι, γητικά²⁾, σκοῖδος, quae ex Alexandri epistulis sumptae esse traduntur (ἢ λέξις καίται ἐν ταῖς Ἀλεξάνδρου ἐπιστολαῖς). Glossae Macedonicae Hesychianae sine dubio omnes depromptae sunt ex Ameriae Macedoniae libro, qui γλώσσα in scriptus erat, quo autem tempore Amerias ille fuerit prorsus incertum est; commemoratur Amerias ille apud Eustathium³⁾, Aelium Dionysium, in scholiis ad Theocritum⁴⁾ Apolloniumque Rhodium, apud Hesychium, Athenaeum⁵⁾, sed ex omnibus illis locis nihil proficitur ad

1) F. Reuss l. l. p. 112 sq.

2) γητικά cum Hansenio vocabulum Persicum esse puto, sed de hac re infra suo loco erit dicendum.

3) Eustath. 757 A, 1958 etc.

4) Ahrens: bucolicor. Gr. rel. II p. XXXV praefationis.

5) Athen. ed. Kaibel III p. 573 s. v. Amerias.

aetatem eius definiendam: verisimile est eum grammaticum Alexandrinum fuisse, sed omnia obscura sunt.

Reliquum est, ut videamus, quinam scriptores collectionibus usi sint. Scriptorum, quos etiamnum habemus, vetustissimus est Cicero, cui epistularum collectiones praesto fuisse colligere possumus; de off. II, 4, 8 enim scriptum legimus: „exstant epistulae et Philippi ad Alexandrum et Antipatri ad Cassandrum et Antigoni¹⁾ ad Philippum filium, trium prudentissimorum — sic accepimus — quibus praecipunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam adliciant militesque blande appellando deleniant.“ Quas epistulas in collectione vel potius collectionibus infuisse ex Gellio²⁾ perspicuum est; ex collectione illa sine dubio sumpta est epistula de off. II 53, quam Val. Max. VII 2 ext. 10 repetivit, de qua infra suo loco erit dicendum. Quos Ciceronis et Gellii locos alium ad alium pertinere et in collectione illa complures infuisse epistulas subditivas iam Westermann et Zacher³⁾ recte viderunt. Deinde Alexandri epistularum collectionem novit Plinius in historia naturali. At hic dixerit quispiam Plinium epistulas non ipsum vidisse, verum ex rerum Alexandri Magni scriptoribus, quae adfert, sumpsisse. Sed rem non ita se habere ex auctorum indice Pliniano (hist. nat. I) discimus: Plinius enim inter auctores externos, quibus ad librum VI conscribendum usus est, etiam Alexandrum Magnum enumerat⁴⁾

1) Antigonus ille, quem Cicero commemorat, Antigonus est I Monophthalmos, Demetrii Poliorcetae pater, non Antigonus Doso.

2) Gellius, noct. att. IX 3 de Philippo haec habet: „feruntur adeo libri epistularum eius munditiae et venustatis et prudentiae plenarum velut sunt illae litterae, quibus Aristoteli philosopho natum esse sibi Alexandrum nuntiavit“; cf. Westermann l. l. VI p. 17. Ceterum Philippi epistulae dignae sunt, quae denuo accuratissime examinentur; equidem locos ex scriptoribus omnes collegi et, si Deo placet, mox de iis sum disputaturus.

3) Westermann l. l. p. 17 sq.; J. Zacher, Pseudo Kallisthenes, Halle 1867 p. 92 sq.

4) De auctorum indicibus Plinianis optime disputavit H. Brunn, De auctorum indicibus Plinianis disputatio isagogica, Bonn 1856, sed

et epistulas quidem Alexandri eum habuisse ex hist. nat. VI, 63 patet: „epistulae quoque regis ipsius consentiunt his“. Et Gellio quoque epistularum collectionem praesto fuisse supra vidimus. Sed de scriptoribus Latinis haecenus; restat, ut de Graecis pauca dicam. Ex scriptoribus Graecis collectiones noverunt Strabo, Plutarchus, Hesychius, Pollux, Athenaeus. Ac Straboni quidem collectionem ubi verae et subditivae inessent epistulae praesto fuisse ex epistulis, quas commemorat, colligi potest; fieri potest, ut haec eadem fuerit collectio, quam Gellius Ciceroque habuerunt, quamquam quae dixi nihil nisi meram coniecturam esse libenter concedo. Deinde Plutarchus sine dubio collectionibus usus est, etsi nonnullas etiam epistulas ex auctoribus suis Duride, Hieronymo, Andronico, Agatharchide, aliis sumpsit. De Athenaeo iam supra p. 9 dixi; Hesychium ex Ameria glossas suas deprompsisse p. 13 vidimus; de Polluce nihil habeo quod addam. Ab his scriptoribus accuratissime disiungendi sunt Curtius, Justinus, Polyaeus, Arrianus¹⁾, Valerius Maximus, Diogenes Laërtius, Diodorus, qui omnes collectionibus non usi sunt, sed ex auctoribus suis epistulas sumpserunt, saepissime autem nihil aliud nisi epistolam hoc vel illo tempore datam esse commemorant aut suis verbis, quae in epistulis scripta sint, referunt. De Josepho certum facere iudicium res est una omnium difficillima, sed mihi nonnullas epistulas sive ipse sive sacerdotum Iudaicorum memoriam secutus effinxisse videtur.

Iam vero, ut paucis quaestionis summam complectar, vidimus accuratissime distinguendas esse epistulas privatas a publicis; publicas praeter Antipatri librum ex tabulariis esse collectas, privatas vero ex Charetis et Antipatri libris tabulariisque esse sumptas; collectionum totam seriem fuisse et veras et subditivas, quarto saeculo exeunte vel tertio ineunte factas, scriptores vero partim collectionibus usos esse, partim epistulas ex auctoribus suis deprompsisse, partim ipsos finxisse.

erravit vir doctissimus in locis a Plinio ex Alexandro excerptis enumerandis (p. 10) effugitque eum locus gravissimus, ubi diserte de regis epistulis dictum est, hist. nat. VI 63.

1) Sussemihl, l. l. p. 594 falso Arrianum collectione usum esse dicit.

Ex epistularum genere dicendi, quod adiumentum praestare solet ad tales quaestiones solvendas, nihil fere proficitur ad epistulas, de quibus in hac disputatiuncula dicturus sum, defendendas vel non probandas, cum epistularum parvula tantum exstent fragmenta atque in titulis duae tantum servatae sint epistulae; aliter res se habet in Philippi, diadochorum epigonorumque epistulis examinandis: epistularum enim eorum et in scriptoribus exstant complures paene integrae et in titulis triginta fere servatae sunt, ita ut ibi ex epistularum praescriptionibus aliisque generis dicendi proprietatibus fortasse nonnulla colligi possint¹⁾. Quae cum ita sint ex factis temporumque ratione accuratissime examinatis et ad optimorum scriptorum memoriam exactis de singularum epistularum fide iudicium faciendum est.

His rebus praefandi causa in universum breviter expositis transeundum iam est ad singulas epistulas examinandas; rem vero ita instituum, ut primum de epistulis, quas Alexander ipse scripserit, deinde de iis, quas acceperit, verba faciam.

1) Sic iam ex epistularum praescriptionibus complures discimus Philippi epistulas apud Demosthenem aliosque servatas esse fictas: ex titulis enim videmus reges semper scripsisse βασιλεὺς ὁ δεῖνα, numquam βασιλεὺς Μακεδόνων ὁ δ., quod in compluribus epistulis exstat. In epistula Philippi (Demosth. or. XII) scriptum est Βασιλεὺς Φίλιππος, quod praeter alias causas gravissimas etiam fidei favet.

I. De Alexandri Magni epistulis.

De Alexandri epistularum forma duo ex antiquitate habemus testimonia, alterum Plutarchi, alterum Curti Rufi. Plutarchus¹⁾ quidem narrat Alexandrum post Dareum devictum nisi Phocionem neminem verbo χαίρειν adlocutum esse, testibus usus Duride Chareteque. Hansen l. l. p. 261 recte dixit hoc, si epistulae Alexandri integrae nobis praesto essent optimam futuram fuisse notam, essentne epistulae fictae, necne, cum Chares testis esset summa fide dignus; nunc vero Plutarchi testimonium non multum adfert utilitatis. Epistula Alexandri, in qua sola praescriptio servata est, de revocandis exsulibus²⁾, congruit cum hoc Charetis testimonio³⁾: scriptum enim in ea nihil est nisi: „Βασιλεὺς Ἀλέξανδρος τοῖς ἐκ

1) Plut. Phoc. XVII 4: „ἰδίᾳ δὲ τὸν Φωκίωνα ποιησάμενος αὐτοῦ φίλον καὶ ξένον εἰς τοσαύτην ἔθετο τιμὴν, ὅσην εἶχον ὀλίγοι τῶν αἰεὶ συνόντων. Ὁ γοῦν Δοῦρις εἴρηκεν, ὡς μέγας γενόμενος καὶ Δαρείου κρατήσας ἀφείλε τῶν ἐπιστολῶν τὸ Χαίρειν πλὴν ἐν ὕσαις ἔγραψε Φωκίῳ· τοῦτον δὲ μόνον, ὡς περ Ἀντίπατρον, μετὰ τοῦ Χαίρειν προσηγόρευε. Τοῦτο δὲ καὶ Χάρης ἰστορήκε. Idem habet Ael. var. hist. I 25.

2) Diod. XVIII 8, 4; epistulam Alexandri ad Aristotelem de aegroamaticis Plut. Alx. 7, 4 sciens omisi.

3) Charetis testimonio obstat scholiasta ad Aeschinis Ctesiphon-team 160: ἐπειδὴ ἡ βουλή . . . ἔθυσε θεοῖς, χάριν ὁμολογοῦσα ὑπὲρ τοῦ Φιλίππου θανάτου ἕνεκα τούτου Ἀθηναίους ὕστερον ἐπιστέλλων Ἀλέξανδρος οὕτως ἔγραψεν· Ἀλέξανδρος τῷ μὲν δήμῳ χαίρειν, τῇ δὲ βουλῇ οὐδέν. Sed undenam scholiasta miram illam et prorsus incredibilem memoriam sumpserit incertum est.

τῶν Ἑλληνίδων πόλεων φυγάσι¹⁾“. Alterum de Alexandri epistulis testimonium Curtius Rufus nobis servavit VI 6, 6: „litteras quoque, quas in Europam mittebat, veteris anuli gemma obsignabat, iis, quas in Asiam scriberet, Darei anulus imprimebatur, ut appareret unum animum duorum non capere fortunam“. De hac re praeter Curtium nemo alius scriptor quicquam tradidit, sed per se optime fieri potest, ut Alexander initio Graecorum Macedonumque rationem habuerit; causa autem, cur hoc fecerit Alexander, quam adfert Curtius, nimis inepta est. Jam vero ad epistulas ipsas adeamus.

1. Alexandri epistulae ad Graecos.

a) ad Athenienses.

(1). Arr. An. I 10, 4: „ὁ μὲν (sc. Alexander) τὰ μὲν ἄλλα φιλανθρώπως πρὸς τὴν πρεσβείαν ἀπεκρίνατο, ἐπιστολὴν δὲ γράψας πρὸς τὸν δῆμον ἐξήτει τοὺς ἀμφὶ Δημοσθένην καὶ Λυκοῦργον· καὶ Ὑπερείδην δὲ ἐξήτει καὶ Πολύευκτον καὶ Χάρητα καὶ Χαρίδημον καὶ Ἐφιάλτην καὶ Διότιμον καὶ Μοιροκλέα· τοὺτους γὰρ αἰτίους εἶναι τῆς τε ἐν Χαιρωνείᾳ ξυμφορᾶς τῇ πόλει γενομένης καὶ τῶν ὕστερον ἐπὶ τῇ Φιλίππου τελευταίῃ πλημμυελιθέντων ἕς τε αὐτὸν καὶ ἕς Φίλιππον· καὶ Θηβαίους δὲ τῆς ἀποστάσεως ἀπέφαινε αἰτίους οὐ μείον ἢ τοὺς αὐτῶν Θηβαίων νεωτερισαντας. Cf. Plut. Demosth. 23; Phoc. 17; Suid. s. v. Ἀντίπατρος. [Psplut. Mor. p. 847^c 848^a 841^e 852^d].

Arrianus I 10, 2 sq. narrat Athenienses post Thebas eversas propere, Demade rogationem ferente, decem legatos ad Alexandrum misisse, qui ei victoriam de Illyriis, Triballis,

1) Adler secum ipse pugnat: p. 6 enim epistulae auctoritatem hac re firmari, p. 19 autem hoc argumentum vi persuadendi carere dicit, cum Hieronymus optime Charetis verba novisse ipseque epistulam effingere potuerit. Adhuc, quod sciam, nemo Hieronymum pro falsario habuit.

Thebanisque gratularentur; Alexandrum, etsi φιλανθρώπως legatos excepisset, tamen epistulam Atheniensibus scripsisse et postulasse, ut oratores ducesque factionis Demosthenicae sibi dederentur; denique Athenienses secunda legatione ad Alexandrum missa effecisse, ut praeter Charidemum omnibus venia impunitasque daretur. Priorem illam legationem prorsus omiserunt Plutarchus et Diodorus¹⁾, qui de disceptationibus in contione Atheniensi uberius verba faciunt. Grote et Ranke²⁾ de priore illa legatione valde dubitant; Grote Athenienses tam ignominiosum consilium capere non potuisse contendit, nam ni ita esset, etiam oratores ducesque dedituros fuisse. Sed iure Flathe, Schaefer, Droysen, Freeman, Thirlwall, Boeh-

1) Plut. Phoc. 17; Demosth. 23; Diod. XVII 15. Prioris legationis vestigia etiam nunc in Plutarcho exstare puto. Apud Plut. Demosth. 23 enim scriptum legimus: „ἀπεστάλη μὲν ὁ Δημοσθένης ἀρεθεὶς μεθ' ἑτέρων πρεσβευτῆς πρὸς Ἀλέξανδρον, δείσας δὲ τὴν ὀργὴν ἐκ τοῦ Κιθαιρώωνος ἀνεχώρησεν ὀπίσω καὶ τὴν πρεσβείαν ἀφῆκεν. Εὐθύς δὲ Ἀλέξανδρος ἐξήτει κτλ. atque Phoc. 17 τὸ μὲν οὖν πρῶτον ψήφισμα λέγεται τὸν Ἀλέξανδρον, ὡς ἔλαβε, ῥῖψαι καὶ φυγεῖν ἀποστραφέντα τοὺς πρέσβεις, τὸ δὲ δεύτερον ἐδέξατο κτλ. Ex his, quos attuli, locis mea quidem sententia patet etiam Plutarcho, vel potius eius auctoribus notas fuisse duas legationes, sed eos memoriam prioris illius legationis minime honorificae consulto oblitterasse. Plutarchum primum et secundum Graecorum motum confudisse et unam tantum Alexandri in Graecia expeditionem nosse recte viderunt Schäfer, Dem. III 96 n. 3, Boecknecke, alii; sic etiam, quae Dem. 23 de Demosthene narrat, Diodorus XVII 4, Aeschines III 161, Dinarchus I 82 auctores sunt facta esse, cum Alexander primam adversus Graecos expeditionem susciperet. Equidem Plutarchum apud auctorem suum de priore legatione mentionem invenisse puto, sed falso illam intellexisse legationem, cuius Demosthenes unus e legatis esset. Mirum in modum Diodorus XVII 4, 9 cum Arriano I 10, 4 in ipsis verbis congruit [Diod.: ὁ δὲ Ἀλέξανδρος τοῖς πρέσβεσι τῶν Ἀθηναίων φιλανθρώπως ἀποκρίσεις δούς κτλ. = Arr.: ὁ μὲν τὰ μὲν ἄλλα φιλανθρώπως πρὸς τὴν πρεσβείαν ἀπεκρίνατο], quod, quomodo factum sit, nescio: apud Justinum XI 3 enim scriptum videmus, Alexandrum, cum primam expeditionem faceret, legatos non benigne excepisse, immo: graviter increpatis . . . bellum remisit“, quod rursus congruit cum Plut. Phoc. 17.

2) Grote l. l. XI p. 372 n. 2. Ranke l. l. III 2 p. 54 sq.

necke¹⁾), alii Arrianum secuti sunt, qui hoc loco sine dubio Aristobulo usus est auctore, qua de re mox erit dicendum. Illius aetatis Athenienses adulationem non perhorrescebant, contra civium autem deditionem pietas erga patriam repugnabat; praeterea decreti formulae optime cognosci possunt in Arriano. Nomina virorum, quos Alexander deposcebat, non ab omnibus scriptoribus eadem traduntur. Decem oratores ducesque Alexandrum depoposcisse tradunt Diod. XVII 15; Plut. Phoc. 9; Suid. s. v. Ἀντίπατρος; Arrianus novem recenset, Plut. Demosth. 23 τοὺς πλείστους καὶ δοκιμωτάτους τῶν συγγραφέων octo tradidisse dicit. Equidem decem numerum rotundatum esse puto Arrianumque verum tradidisse contendo (singularem Niebuhrii sententiam de „decem oratoribus“ non refellam²⁾). Eadem nomina adferuntur apud Suidam s. v. Ἀντίπατρος ἤτις τοὺς δέκα ῥήτορας, οὓς ἐξέδωσαν Ἀθηναῖοι Δημοσθένην, Ὑπερείδην, Λυκούργον, Πολύευκτον, Ἐφιάλτην, Θρασύβουλον, Χάρητα, Χαρίδημον, Διότιμον, Πατροκλέα, Κάσανδρον. Suidae verba gravissimis laborant vitiis; quae de Antipatro narrat ad Alexandrum pertinere atque pro Πατροκλέα scribendum esse Μαιροκλέα iam pridem recte viderunt homines docti³⁾. De „Κάσανδρον“ nomine dissentiunt homines docti; Κάσανδρον non esse virum ab Alexandro ex postulatum patet. Itaque plerique Toupii coniecturam probaverunt, qui ante Κάσανδρον excidisse putavit Ἀντίπατρος atque hoc esse lemma Ἀντίπατρος Κασάνδρου suspicatus est. Contra Rahnken in Κάσανδρον nomine latere coniecit Aristobuli Κασανδρέυς nomen, recte mea quidem sententia: valde enim mihi placet sodalis mei Gleyii coniectura, qui in nomine Θρα-

1) L. Flathe, Gesch. Maced. I p. 260, Lpz. 1832. A. Schaefer, Demosth. u. seine Zeit, Lpz. 1887 III² p. 137 sq. Droysen I 1 p. 143. Freeman I. I. p. 183 n. Thirlwall VI p. 118 sq. K. Boehnecke, Forschungen auf d. Gebiete d. att. Redner I p. 638 sq. Berlin 1843.

2) Niebuhr I. I. p. 440 sq. Niebuhr etiam narrat, Athenienses Alexandro victoriam de Triballis Illyriisque solis gratulatos esse et dissimulasse se scire a Thebis quoque poenas esse repetitas; haec est licentia, quam sibi sumere hominibus doctis non licet.

3) Schaefer, I. I. p. 137 n. 2.

σύβουλον ab Arriano omissio Aristobuli nomen delitescere opinatus est. Rationes Gleyii, quibus coniecturam suam defendet, nescio (sine dubio eas mox publici iuris faciet), sed nonnulla adferre possum ad eam firmandam. Quod nomina tam longe alterum ab altero distant non est causa cur coniecturam illam reiciamus; omnium fere nominum ordo immutatus est atque postquam ex Aristobulo Thrasybulus factus est, facile intelligitur, cur nomen eius cum Ephialte coniunctum sit: ex Diodoro XVII 25 enim notum est utrumque in Halicarnassi urbis expugnatione contra Alexandrum dimicasse¹⁾. Quae coniectura si vera est, apertum est Arrianum Aristobulo usum esse auctore, quod iam pridem coniecerunt homines docti²⁾. Schaefer et Klotz³⁾ Arrianum errasse Plutarchumque, qui pro Hyperide, Charete, Diotimo — Demonem Callisthenemque recenset, vera nomina commemorasse dicunt, praesertim cum τοὺς πλείστους καὶ δοκιμωτάτους τῶν συγγραφέων illud tradidisse contendat. Hyperidem, Charetem, Diotimum gravissimos Macedonum adversarios fuisse: „bei diesen allen lag die Voraussetzung nahe, dass ihre Auslieferung gefordert worden sei, aber nothwendig ist sie nicht“; contra Demonem Callisthenemque non tam insignes fuisse, ut sine auctore quisquam

1) J. Beloch, Die att. Politik seit Perikles, Lpz. 1884 p. 241 et n. 4 Thrasybuli nomen apud Arrianum excidisse dicit; Arrianum aequae atque Diodorum et Plutarchum (Phoc. 9) decem recensuisse nomina. Sane, si Thrasybuli quoque nomen apud Arrianum exstaret, non esset, cur de eo dubitarem, quia dux erat unus omnium eius aetatis notissimus.

2) C. Wachsmuth apud Adlerum p. 12 verba καὶ Ὑπερείδην δὲ ἐξήγει κτλ. eicienda statuit, cum verbis τοὺς περὶ Δημοσθένην καὶ Λυκούργον iam significatum sit: „et Demosthenem flagitavit et Lycurgum et illorum socios.“ Quamquam Wachsmuthio concedendum est verborum structuram non satis esse aptam, tamen verba illa non eiecerim. Sed licet verba sint eicienda, tamen Aristobulum nomina illa, quae apud Arrianum exstant, tradidisse ex Suida patet neque, quin vera sint, dubito. Non recte Adler Wachsmuthium secutus est.

3) W. Klotz, Ueber d. Quellen z. Gesch. Phokions, Zittau 1877 p. 18 sq. Grote XI p. 370 et Flathe I. I. rem in medio relinquunt, Alexander decemne an octo viros depoposcerit.

eos inter expostulatos enumeraret. Falso illi quidem: Plutarchus quam parum criticus fuerit vel ex eo perspicuum est, quod in vitis Demosthenis et Phocionis, quin etiam in vita Phocionis ipsa (c. 9 et c. 17) secum pugnat. Etiam intellegi potest, quomodo Demonis Callisthenisque nomina irrepserint. Habemus enim apud Athenaeum VIII 341^{et 1)} fragmentum comoediae Timoclis, quae Δηλος inscribitur, ubi Timocles loquitur de hominibus ab Harpalo corruptis (διηγούμενος τοὺς παρὰ Ἀρπάλου δωροδοκήσαντας); recensentur ibi Demosthenes, Moirocles, Demon, Callisthenes, Hyperides. Cum hominibus illis causa Harpalica implicatis confusi sunt homines ab Alexandro expostulati, quod facillime fieri potuit, cum pleraque nomina in utroque indice inessent²⁾. De hominibus illis ipsis nihil mihi dicendum videtur, cum Boehnecke et Schaefer uberrime de iis verba fecerint. Just. XI 4, 11 scribit: „eo res deducta est, ut retentis oratoribus duces in exsilium agerentur“; minus accurate ille quidem: Alexandri iussu nemo nisi Charidemus expulsus est, etsi Chares, Ephialtes, Thrasybulus, alii non ita multo post ipsi in Asiam ad Persas se contulerunt. Haec epistula sine dubio est vera sumpsitque eam Arrianus ex Aristobulo³⁾, auctore summa fide digno.

(2). Plut. Phoc. XXI, 1: γράψαντος δὲ τοῦ Ἀλεξάνδρου περὶ τριήρων, ὅπως ἀποστείλωσιν αὐτῶ καὶ τῶν ῥητόρων ἐνισταμένων, τῆς δὲ βουλῆς τὸν Φωκίωνα λέγειν κελευούσης, „Λέγω τοίνυν ὑμῖν“, εἶπεν, „ἢ τοῖς ἔπλοις κρατεῖν ἢ τοῖς

1) Th. Koek, Fragm. com. II p. 452 (Timoclis frg. 4). Koek etiam Plutarchi indicem verum esse putat; non intellego, cur Koek ad Callisthenem (Frag. com. II p. 21) Suidae locum s. v. Καλλισθένης attulerit, cum ibi de longe alio Callisthene, Aristotelis propinquo, agatur.

2) Miror Schaeferum Kruegeri coniecturam, qui pro Demone Diotimum scribendum esse coniecit, probasse; etiam Niebuhr l. l. p. 442 n. falso Demonis nomen suspectum habuit. Ex Timoclis fragmento, unde Demonis nomen irrepserit, patet.

3) Fraenkel l. l. p. 259 Arriani memoriam ex Ptolemaeo fluxisse dixit, cum Aristobuli memoria apud Plut. Dem. 23 exstaret, quae cum Arriano non congrueret. Sed argumenta, quae adfert, nihil probant.

κρατοῦσι φίλους εἶναι“. Cf. apophth. Phoc. 10 (Mor. p. 188^o 1).

Quando hanc epistulam scripserit Alexander Plutarchus non dicit. Schaefer, Dem. III p. 174 et n. 3 et Droysen, Hell. I 1 p. 242 n. 2 recte anno 333 eam scriptam esse coniecerunt, cum Hegelochus novam classem comparare iussus esset (Arr. II 2, 3 sq.; 19, 6; Curt. III 1, 19 sq.; IV 1, 36). Neque minus verisimilis est Droysenii coniectura Alcimachum cum epistula illa Athenas venisse (Anaxim. frg. 17) atque etiam [Demosth.] XVII 27 sq. de hac Alcimachi legatione esse dictum. Demosthenem et Hyperidem contradixisse traditur apud Psplut., vit. X or. p. 847^o 848^d, quorum consilium valuisse videtur. Alia est sententia Flathii l. l. p. 264 et Bellochii l. l. p. 245, qui, quae hoc loco narrantur, accidisse putant, cum Alexander bellum contra Persas pararet, i. e. anno 335/4; Hyperidem Demosthenemque postulationem illam Alexandri impugnasse, Phocionem autem effecisse, ut viginti naves mitterentur (Diod. XVII 22). Sed sententia illa minime mihi placet; vix enim cogitare possum Demosthenem Hyperidemque modo aegerrime servatos denuo Alexandrum irritasse. Multo mea quidem sententia verisimilius est haec anno 333 facta esse, cum Alexander in Asia esset, magna Persarum classis mare Aegaeum circumnavigaret Macedonesque classem non haberent. Narratiunculam Plutarchus sine dubio sumpsit ex Duride, quo in Phocionis vita saepissime usus est auctore; quin Alexander epistulam de triremibus scripserit non est dubitandum.

(3). Demosth. ἐπιστ. III 24: „τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὑμῶν Λάχητι τῷ Μελανώπου ἀλῶναι μὲν ὁμοίως ἐν δικαστηρίῳ συμβάν, ὡς καὶ νῦν τοῖς Λυκούργου παισίν, ὑφεθῆναι δὲ πᾶν τὸ ἔφλημ“ ἐπιστείλαντος Ἀλεξάνδρου. Cf. ἐπ. III 26.

De tertiae Demosthenis epistulae fide valde dubitaverunt homines docti, sed iniuria mea quidem sententia. Rectissime

1) Apud Ps. Call. II 1 in epistula Alexandri ad Athenienses simile invenimus dictum: ἀρτίως μὲν ἢ κρείττονες γίνεσθε ἢ τοῖς κρείττοσιν ὑπακούεσθε.

F. Blass, *Gesch. d. att. Bereds.* III 1 p. 384 sq. eam defendit; certe Schaeferi causae, quas Fl. Jhb. CXV (1877) p. 161 sq. ille protulit, non tanti sunt momenti, ut epistulae fidem abrogare possint. Sed quamquam de Demosthenis epistula valde dissentiunt homines docti, de Alexandri epistula, quam supra attuli, ne Schaefer quidem dubitavit (Dem. III 1 p. 344 n. 4) neque est, cur de ea dubitemus; cf. etiam Droysen. I 2 p. 284 n. 2. Lachetem illum etiam in titulo Aixonensi inter syndicos commemoratum esse recte vidit Lolling, *Mitth.* IV p. 198 sq.: 1. 12 sq. εἶναι αὐτοῖς τὰς ἀ[ὐτ]ά[ς] τιμὰς ὄσαι περὶ καὶ τοῖς συνδίκου[ς] τοῖς περὶ Λάχητα. Droysen et Lolling etiam epistulam vere Demosthenicam esse putant. Alexandrum pro exsulibus deprecatum esse per epistulas etiam aliunde scimus. Cf. infra n. 9. 10.

(4). Plut. Alx. XXVIII 1: „τοῖς δὲ Ἑλλησι μετρίως καὶ ὑποφειδομένως ἑαυτὸν ἐξεθείαζε · πλὴν περὶ Σάμου γράφων Ἀθηναίοις · „Ἐγὼ μὲν οὐκ ἄν, φησίν, ὑμῖν ἐλευθέραν πόλιν ἔδωκα καὶ ἐνδοξον · ἔχετε δὲ αὐτὴν λαβόντες παρὰ τοῦ τότε κυρίου καὶ πατρὸς ἐμοῦ προσαγορευομένου“ λέγων τὸν Φίλιππον.

Ex Diod. XVIII 8, 6 scimus Aetolos Atheniensesque edictum illud de exsulum restitutione graviter tulisse (δυσχεραίνοντες τῇ πράξει χαλεπῶς ἔφερον). Inter legationes ἀντιλεγούσας περὶ τῆς καθόδου τῶν φυγάδων, quas Diodorus XVII 113 post alias omnes Alexandrum excepisse narrat, etiam Atheniensium fuisse legationem puto, sed nihil eam effecisse perspicuum est ex titulo Ditt. Syll. n. 119 l. 12 sq. ἀναγγείλαντος Ἀλεξάνδρου ἐν τῇ στρατοπέδῳ, ὅτι Σάμον ἀποδοῖ Σαμίους καὶ διὰ ταῦτα αὐτὸν τῶν Ἑλλήνων στεφανωσάντων κτλ. et ex Diodoro XVIII 8, 7 Ἀθηναῖοι τὴν Σάμον κεκληρουχηκότες οὐδαμῶς τὴν νῆσον προίεντο. οὐκ ὄντες δὲ ἀξιόμαχοι ταῖς τούτου δυνάμεσι κατὰ μὲν τὸ παρὸν ἡσυχίαν ἦγον ἐπιτηροῦντες καιρὸν εὐθετον κτλ. Cf. etiam M. Hoffmann ad Schaefer. Dem. III p. 320. Quod Alexander, ut Arrianus VII 19, 2 narrat, Atheniensibus statuas Harmodii et Aristogeitonis et Ἀρτέμιδος Κελκαίας reddidit non est causa, cur etiam Atheniensium de Samo insula precibus indulsisse

eum sumamus, quod voluerunt C. Curtius, *Inscripfen und Studien z. Gesch. v. Samos*, Lübeck 1877 p. 8 n. 27; Schaefer, *Dem.* III p. 291; F. v. Duhn, *Zur Gesch. d. harpal. Processes*, Fl. Jhb. 1875 I p. 51. Hoc nihil erat nisi beneficium nullius momenti. Equidem epistulam, quam adfert Plutarchus, responsum esse puto, quod Alexander Atheniensium legatis ἀντιλέγουσι dedit¹⁾. De cleruchiis Samiis cf. Curtium l. l. p. 6 sq. Philippum Atheniensibus Samum dedisse scriptum legimus etiam in Polysperchontis edicto Diod. XVIII 56, 7: Σάμον δὲ δίδομεν Ἀθηναίοις, ἐπειδὴ καὶ Φίλιππος ἔδωκε ὁ πατήρ. Prorsus alia est sententia Foucartii²⁾, qui epistulam anno 332 scriptam esse putat, postquam Alexander Jovis Hammonis oraculum adiit; sic enim vertit Plutarchi verba: „pour moi, je ne vous aurais jamais abandonné une cité libre et illustre; gardez-la, puisque vous l'avez reçue etc. et refert ad hanc epistulam ea, quae Arrian. III 6, 2 de legatione quadam Atheniensi tradidit: καὶ οὗτοι τῶν τε ἄλλων ἔτυχον ὧν ἔνεκα ἐστάλησαν καὶ τοὺς αἰχμαλώτους ἀφῆκεν Ἀθηναίοις κτλ. Quae Foucartii sententia mihi prorsus falsa esse videtur; primum enim Foucart ἔχετε verbum perverse vertit: non enim vertendum est: „gardez-la“, immo: „accepistis eam“. Deinde Alexandrum iam anno 332 se in epistula ad Graecos scripta deum appellasse minime est verisimile; equidem eum nisi in extremis vitae annis hoc nomen non usurpasse puto, quo factum est, ut Plutarcho una tantum epistula nota fuerit. Quod documento esse potest epistulam illam non esse fictam; epistularum enim fabricatores sine dubio plures epistulas tales finxissent, quod recte dixit Han-

1) Adler p. 28 de fide epistulae dubitavit, cum diceret: „ita Alexandrum in Athenienses, quibus semper favit, invectum esse admiror et mira mihi videntur ipsa regis verba, cum ipse Atheniensibus reddiderit liberam urbem!“ Quae ne refutatione quidem digna esse quis est quin videat.

2) P. Foucart, *Mémoire sur les colonies athéniennes au cinquième et au quatrième siècle: Mémoires présentés par divers savants à l'académie des inscriptions et belles-lettres*, I série IX 1 p. 398 sq.

sen p. 293. Quod autem dicit: es ist allerdings nicht ungläublich, dass Alexander, um den Athenern mehr Respect einzufliessen, Philipp seinen sogenannten Vater nannte, risum movet. Etiam hanc epistulam equidem veram esse puto; similiter est composita atque epistula quam adfert Diod. XVIII 8. Sumpsit eam Plutarchus sive ex ipsa collectione, sive, quod verisimilius est, ex Duride, non ex Satyro, quod voluit Vogel l. l. p. 9.

(5). Schol. εἰς στάσεις τοῦ Ἑρμογένους [Rhet. Gr. ed. Walz IV p. 91]. οἷον ἔγραψεν Ἀλέξανδρος μετὰ τὴν Δαρείου νίκην, ὡς εὖροιεν ἐν τοῖς λογισμοῖς Δαρείου πενήκοντα τάλαντα εἰληφότα Δημοσθένην καὶ κρίνεται παρ' Ἀθηναίους προδοσίας Δημοσθένους · τοῦτο γὰρ καὶ ἀπὸ τῆς ἱστορίας καὶ ἀπ' αὐτοῦ πράγματος ὕλην χορηγεῖ. ἐχθρὸς γὰρ Ἀλέξανδρος, οἷα πρότερον καὶ Φίλιππος Ἀθηναίους · καὶ διὰ ταῦτα Δημοσθένους [κρίνεται προδοσίας]. Cf. Rh. Gr. IV p. 316; V p. 41; IX p. 491.

Alexandrum Sardibus γράμματα τῶν βασιλέως στρατηγῶν invenisse, quibus in rationibus numerus pecuniae Demostheni datae contineretur, tradit Plut. Demosth. 20, de epistula autem propterea ad Athenienses scripta nihil habet, quam commemorant rhetores et Philostratus, vit. soph. I 25, 7 p. 538: Δημοσθένους ἐξομνύμενος τάλαντων πενήκοντα δωροδοκίαν, ἣν ἤγεν ἐπ' αὐτὸν Δημάδης, ὡς Ἀλεξάνδρου τοῦτο Ἀθηναίους ἐκ τῶν Δαρείου λογισμῶν ἐπεσταλκός. Demosthenem aurum Persicum accepisse quamquam constat ex compluribus scriptorum testimoniis, quae adferunt Boehnecke l. l. I p. 625 et Schaefer, Dem. III p. 145 n. 2 (velut Din. I 70; Hyper. κατ. Δημ. 23 (21); Aesch. κατὰ Κτησ. 156. 173. 209. 259; Diod. XVII 4 etc.), tamen tota res a rhetoribus Philostratoque narrata valde suspecta est. Demosthenes et Demades post Thebas eversas prorsus concordabant, ita ut hunc illum accusasse omnino incredibile sit; deinde quinquaginta talenta mihi quinquaginta illa talenta redolere videntur, quibus Demosthenes in causa Harpalica multatus est; denique mirum esset, ne unum quidem scriptorem praeter rhetores illos de hac re mentionem fecisse. Nihil hoc nisi thema ab eloquentiae praeceptoribus saepissime propositum fuisse videtur, nisi

forte maxima confusio statuenda est. Dinarchus enim κατ. Δημ. I 10 haec dicit: ἐχρῆν αὐτοὺς ἢ καὶ τὴν προτέραν ζήτησιν τὴν ὑπὲρ τῶν τριακοσίων τάλαντων τῶν παρὰ τοῦ Περσῶν βασιλέως ἀφικομένων ζητεῖν, καθάπερ συνέταξεν ὁ δῆμος (Aesch. III 239 ex trecentis illis talentis septuaginta Demosthenem surripuisse arguit), sed inquisitio illa instituta est (vel potius non instituta est) ab Atheniensibus, postquam Alexander Thebas evertit; post Sardes captas non erat, cur Alexander denuo inquisitionem postularet: Demosthenes enim usque ad Alexandri mortem pacis patronus erat¹⁾. Epistula illa, quam rhetores commemorant, certe ficta est; miror, Boehneckium rhetorum memoriam probasse.

(6). Verbo attigisse sat est, etiam in orationis ὑπὲρ τῆς δωδεκαετίας, quae sub Demadis nomine fertur, frg. 48 (56) (Haupt, Hermes XIII p. 488 sq.) de epistula quadam Alexandri mentionem esse iniectam: „διὰ τῶν πραγμάτων πολέμιον πῦρ προαγορεύει. αὕτη ἢ (Ἀλεξάνδρου) ἐπιστολὴ συνέτριβέ μου τὴν διάνοιαν · αὕτη πόλεμον ἐν τύπῳ γραμμάτων περιέχουσα μόνον οὐκ ἐπιλαβομένη μου τῆς χειρὸς ἐξήγειρεν · αὕτη πορευομένη διὰ τῶν λογισμῶν τὴν ἡσυχίαν ἄγειν οὐκ ἐπέτρεψεν ἐν πύλαις γὰρ ὁ κίνδυνος. Cum oratio illa consensu omnium hominum doctorum²⁾ subdita sit, verbum amplius non addam.

b) ad Plataeenses.

(7) 1. Plut. Alx. 34. De hac epistula cf. infra n. 16.

c) ad Prienenses.

(8) 1. Edictum Alexandri inventum in urbe Priene. Compositus est titulus a viro doctissimo Hicks, Coll. of anc. gr. inscr. in the brit. Mus. III s. 1 n. 400 ex compluribus

1) Cf. etiam Beloch, att. Pol. p. 243; Nissen, Rh. Mus. XLVII p. 172.

2) Droysen I 2 p. 405; Schöll, Hermes III p. 277 sq.; Haupt l. l.; Diels, Rh. Mus. XXIX p. 107 sq.; Sauppe, Orat. att. II p. 312 sq. etc.

fragmentis, ex quibus e a Lebas. Voy. arch. V n. 188, f a Papadopulo Kerameo, Mitth. 1880 p. 339 iam antea publici iuris erant facta. De edicto nuper uberrime tractavit Th. Lenschau, De rebus Priensium, Leipz. Stud. XII (1890) p. 197 sq. et p. 166 sq. 1).

- a Βασιλέως Ἀ[λεξάνδ]ρου ·
 Τῶν ἐν Ναυλόχοι [κατοικούν-?] τῶν ὅσοι μὲν εἰσι [Πριηνεῖ]ς ἀ[ὐτ]ο- νόμους. εἶ[ναι καὶ ἐλευθ]έρους
5. ἔχ[οντ]ας κ]αὶ τὰς οἰκί-
 ας τὰς ἐν[π]όλει π[α]σ[α]ς καὶ τῆς
 χώραν, οἱ [δὲ] Πριηνε
- b αἷς ἂν δέω[νται]
- c τοδε αὶ Μυρσ
10. . αὶ Π χώραν d
- e γινώσκω ἐμὴν εἶναι, τοὺς δὲ κα-
 τοικούντας ἐν ταῖς κώμαις ταύ-
 ταις φέρειν τοὺς φόρους · τῆς
 δὲ συντάξεως ἀφίημι τῆμ Πριην-
15. νέωμ πόλιν καὶ τῆμ φρου[ρ]ὰν ἐ-
 φη εἰ]σάγει[ν]
- f δια
 τὰς δικας
 νει ὑμᾶς
20. δικαστήριον
 δημα
 ὑμᾶς

v. 5 ἔχ[οντ]ας [τὰ γήπεδα? κ]αὶ Hicks. ἔχ[οντ]ας [ἀτελεῖς κ]αὶ Lenschau. — v. 7 οἱ [δὲ] Πριηνεῖς οἰκούντων ἐν κώμαις αἷς ἂν δέω[νται ἀτελεῖς] Hicks coll. n. 403 v. 146; sed haec non recte Hicksium coniecisse puto. Lenschau Wachsmutho

1) Valde mirandum est Adlerum hoc edictum non novisse; licet ipse corpora inscriptionum non inspexerit, tamen ex Lenschavii libro, quo usus est, si quidem eum totum perlegit, hoc edictum ei notum esse debebat.

auctore recte negavit secundo loco de Priensibus agi posse, cum aperta esset oppositio inter duas sententias per μὲν et δὲ significata. Lenschau ipse coniecit οἱ δὲ Πριηνεῶν μέτοικοι vel πάροικοι ἐν κώμαις αἷς ἂν δέω[νται] οἰκούντων, sed coniectura eius mihi non placet: nam primum ordo verborum v. 8 non satis est aptus, deinde v. 8 29 essent litterae, cum reliqui versus 24—26 litteras continerent; quid vero scribendum sit nescio. — v. 15 Lenschau ex hoc versu collegit etiam custodiam urbis tributo exemptam fuisse, unde effici dixit, custodes illos mercenarios fuisse; sed equidem Lenschavium errasse puto; verba τῆν φρουράν non cum ἀφίηκα immo cum verbo quodam quod perierit coniungenda sunt. Puto Alexandrum edixisse, se urbi praesidium non impositurum, quod novum sine dubio privilegium erat. Quod Lenschau dicit „non καὶ τ. φ. tunc scripsisset rex, verum τῆν δὲ φρ.“ nihili faciendum est.

Hicks et Lenschau recte edictum Alexandri propositum esse dixerunt „after the expulsion of the Persian garrison and the emancipation of the town.“ Cuius edicti initium Hicks optime supplevit: Alexander Prienses immunes fecit συντάξεως non solum eos, qui in ipsa Priene, sed etiam eos, qui Naulochi, in urbe Prienes propinqua (Plin. V 29), fortasse Priensium portu, habitabant. Porro Alexander partem territorii Priensium sibi sumpsisse videtur, cuius incolae tributum (φόροι) pendere debebant. Valde dolendum est reliqua omnia mutila esse. Lenschau rectissime animadvertit in hoc titulo urbium σύνταξιν tributo (φόρος), quod regiae terrae incolae solverent, oppositam esse, atque ex verbo σύνταξις collegit Graecas Asiae urbes Alexandro non fuisse subiectas, immo aequabili foedere cum eo coniunctas, quod iam pridem aliis de causis sagacissime coniecerat Droysen, Beiträge zu d. Frage über d. innere Gestaltung des Reiches Alexanders des Grossen, Monatsber. d. Berl. Acad. 1877 p. 31 sq., cuius coniectura titulo splendidissime confirmatur. Reges sibi partem territorii sumpsisse etiam aliunde notum est; exempli gratia adfero titulum Ditt. Syll. n. 158 v. 41, ubi Antiochus rex τῆς βασιλικῆς χώρας Aristodicidae cuidam de se optime merito partem donat. Pri-

nensibus etiam pecunia (σύνταξις), quae ceteris urbibus ex foedere pendenda erat, remittitur; quod privilegium iis sine dubio datum est propter obsequium erga Alexandrum: sic ex titulo Ditt. Syll. n. 117 discimus, Prienses Alexandri nomen Minervae templo inscripsisse, quod rex frustra ab Ephesiis petierat (Strabo XIV p. 640 fin.); sine dubio Prienses etiam portis sponte patefactis se suaque Alexandro permiserant.

d) ad Chios.

(9) 1. Titulus in insula Chio est repertus. Fragmentum A et B primus satis male ed. Blastos, *Χιανά* p. 223/4 n. 25/6 [liber ille mihi praesto non fuit], quorum A repetivit Boeckh, CIG 2214^b. Denuo A et B exscripsit Haussoullier, Bull. de C. H. III p. 320 sq.; C denique ed Studniczka, Mitth. XIII p. 165; totum titulum nuper ed. Lenschau I. I. p. 186 sq. Lenschau recte B et C coniunxit, sed nimis breve inter utrumque fragmentum statuit spatium; hoc inde factum est, quod frg. A non recte supplevit. Titulus enim στοιχηδόν scriptus est atque Lenschau ubique 25 litteras fuisse putat; sed si re vera B et C eiusdem tituli sunt fragmenta, id quod pro certo habeo, minimum 28 litterae in unoquoque versu statuendae sunt. Quae cum ita sint Lenschavii supplementa non adferam. Titulus nimis est mutilus, ut cum aliqua probabilitatis specie restitui possit; nonnulla supplementa luce clariora sunt, quae adferre non iuvat. Haussoullier verisimilime suspicatus est epistolam Alexandri ad Chios in tribus illis fragmentis servatam esse; certe regis cuiusdam est epistula. De rebus Chiorum gestis cf. J. K. Whitte, De rebus Chiorum publicis, Hauniae 1838 p. 55 sq.; Schaefer, Dem. III p. 182 sq.; Droysen I 1 p. 201 sq. et 313 sq.; Lenschau, I. I.

A.

λ]ος.
 ..δε..παρεσται..
 .αυτουδσοιδ'αντδ.
 ξηιδδημοσμηκατα.
 γυουσφυλασσετωηα

εμενους ανδ'αποδρα
 .ιτιμααποτινειντ
 .νδ'αλλωνΧιωνμηδε
 ..νεπιβαρβαρισμω
 ..ωνμηδ'Αλκιμαχο.
 ..ειδηδιεμαρτυρη
 ...οσεξελθεινπρο
 ...δεεμδςτεφίλος
ωιπληθειτωιυ
ςμενγαρφεόγο
τειντηνδεπολ
ςολιγαρχίας
ερονπαραμ..

C.

B. .ιμουκαισι
ωιπεριδυμας
Ρ.....ηκατατουπα
αδτοισα.....ηπόλιςαποδ
 ουναιπρωτοιτ.....τωνκαιαυτδ
 νκαιτουσφιλ.....νκαιπιστευ
 εινωσδντιφι.....ταδταγαρπο
 ιουντεςχαρ.....μ]οικαιεϊτ[ι
 εμουδεοισ.....τερονανδυμ[ι
 νδπηρετοι.....

Titulus inter annos 334—332 est exaratus, ni fallor anno 334. Arrianus tradit Alexandrum ex Epheso Alcimachum, Lysimachi fratrem misisse, qui urbes Jonicas et Aeolicas liberaret cf. I 18, 1: „Αλκιμαχον δε τον Αγαθοκλέους επί τας Αιολιδας τε πόλεις ξυν δυνάμει ουκ ελάττονι εξεπεμψε και εσαι Ιωνικαι υπό τοις βαρβάροις ετι ησαν . και τας μεν ολιγαρχίας πανταχου καταλύειν εκέλευσε, δημοκρατίας δε εγκαθιστάναι και τους νόμους τους σφών εκάστοις αποδοῦναι, και τους φόρους ανείναι εσους τοις βαρβάροις απέφερον. Tum sine dubio etiam Chius insula se Alexandro dedit; nam ex Arriano III 2, 5 perspicuum est, Chium prius in potestate fuisse Alexandri, quam a Memnone occuparetur. In insula

duae erant factiones, quarum altera optimatum Dareo, altera popularium Alexandro favebat. Alcimachus ille, qui v. 10 commemoratur, sine dubio est idem, de quo Arrianus l. l. loquitur. Ad titulum hunc explicandum Lenschau rectissime contulit, quae Arr. I 17, 12 de Epheso narrat: „τοὺς δὲ ἄλλους διεκώλυσεν Ἀλέξανδρος προσωτέρω ἐπιζητεῖν καὶ τιμωρεῖσθαι, γνοὺς ὅτι ὁμοῦ τοῖς αἰτίοις καὶ οὐ ξὺν δίκῃ τινάς, τοὺς μὲν κατ' ἔχθραν, τοὺς δὲ κατὰ ἀρπαγὴν χρημάτων ἀποκτενεῖ, ξυγχωρηθὲν αὐτῷ, ὁ δῆμος. Similiter etiam in insula Chio populum in optimates saevisse ex Alexandri epistula v. 8 sq. discimus. Tituli argumentum Lenschau satis recte exposuit, quare verba eius adferam: „initio, quod servatum non est, rex fortasse imperaverat, ut omnes, in quos crimen coniectum esset, statim custodia tenerentur, populus vero certam quandam definiret pecuniam eosque solos in vincula coniceret, qui pecuniam illam non solverent. Addit deinde multam magistratui irrogandam esse, si qui custodia effugerit et vetat quemquam in posterum quod Persarum rebus studuerit accusari Ad postremum hominem quendam sibi amicum populo commendat et in fine epistulae Chiis pollicetur se quoque gratias iis relaturum, si in hac re imperata fecerint.“ Contra, quo tempore epistula data sit, mea quidem sententia non recte definivit: putat enim titulum post Hegelochi expeditionem anno 332 exaratum esse, quod mihi non verisimile videtur esse; sed certi quicquam dici non potest ¹⁾). Homo ille, quem populo commendavit Alexander, sine dubio erat exsul, quem in patriam restitui valuit.

(10) 2. Photius, bibl. 176 (203 H. 392 R.): τὴν δὲ κάθοδον (sc. Theopompi) Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνων βασιλέως δι' ἐπιστολῶν τῶν πρὸς τοὺς Χίους καταπραξαμένου· ἐτῶν δὲ εἶναι τὸν Θεόπομπον πέντε καὶ τεσσαράκοντα.

Theopompum anno 332 rediisse recte viderunt Krüger ad Clintonis Fast. hell. p. 385 n. ⁵ et Schaefer, Dem. III p. 184 n. 1. De re dubitari non potest.

1) Adler p. 7 etiam titulum anno 332 exaratum esse putat collata epistula Alexandri de Theopompo in patriam restituendo ad Chios data; sed hac e re nihil mea quidem sententia efficitur.

(11) 3. Athen. XII 539' 540^a: ἔγραψε δὲ καὶ τότε (ποτέ Kaibel) Ἀλέξανδρος ταῖς ἐν Ἰωνίᾳ πόλεσι καὶ πρώτοις Χίοις ὅπως αὐτῷ πορφύραν ἀποστείλωσιν. ἤθελε γὰρ τοὺς ἑταίρους ἅπαντας ἀλουργὰς ἐνδύσαι στολὰς. ἀναγνωσθείσης δὲ τῆς ἐπιστολῆς Χίοις παρὼν Θεόκριτος ὁ σοφιστὴς νῦν ἐγνωκέναι ἔφη τὸ παρ' Ὀμήρῳ εἰρημένον „τὸν δ' ἔλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.“

Eadem narratiuncula exstat apud Plutarchum, de educ. puer. 14 (p. 11^a); quod Plutarchus pro Chiis Graecos dixit nihil est. Theocritum adversas Theopompi in re publica partes secutum esse scimus ex Strabone XIV p. 645^e et ex Suida s. v. Θεόκριτος. De Alexandri epistula equidem non dubito.

e) ad Mytilenaeos.

(12) 1. Commemoratur edictum Alexandri in titulo CIG 2166 v. 28: ταῖς διαλυσίεσσι, ταῖς ὁ βασιλεὺς ἐπεκρίνε[τ]ο. Titulum ediderunt praeterea Collitz I 214, Cauer, del' n. 119; cf. praeterea Lolling, Mitth. XI p. 272; Cichorius, Mitth. XIII p. 54.

(13) 2. Titulus mutilissimus, inventus Mytilenis. ed. C. Cichorius, l. l. p. 55.

. . . ηντο ὅπως	Ne quid praetermissis videar etiam
. . . ω αὐτὸν ὡς εἰ	hunc titulum mutilissimum attuli;
. . . ε]ιν ἔκρινον	si omnes regum epistulas una edidis-
ἔρρω]σ θε	sem, inter fragmenta incerta frag-
προτιθέν[αι ἐν στάλλα	mentum illud posuissem. Cichorius
βα]σιλε ὕ[ς	recte vidit hoc esse fragmentum epi-
	stulae regiae, sed utrum Alexandro
	tribuenda sit, necne, omnino incer-
	tum est.

f) ad Eresios.

(14) 1. Titulus Eresi inventus. A ex Kiepertii apographo ed. Boeckh, CIG. 2166^b; totum titulum (A, B, C) edd. A. Conze, Reise nach d. Insel Lesbos, 1865 p. 35 sq.;

duae erant factiones, quarum altera optimatum Dareo, altera popularium Alexandro favebat. Alcimachus ille, qui v. 10 commemoratur, sine dubio est idem, de quo Arrianus l. 1. loquitur. Ad titulum hunc explicandum Lenschau rectissime contulit, quae Arr. I 17, 12 de Epheso narrat: „τοὺς δὲ ἄλλους διεκώλυσεν Ἀλέξανδρος προσωτέρω ἐπιζητεῖν καὶ τιμωρεῖσθαι, γνοὺς ὅτι ὁμοῦ τοῖς αἰτίοις καὶ οὐ ξὺν δίκῃ τινάς, τοὺς μὲν κατ' ἔχθραν, τοὺς δὲ κατὰ ἀρπαγὴν χρημάτων ἀποκτενεῖ, ξυγχωρηθὲν αὐτῷ, ὁ δῆμος. Similiter etiam in insula Chio populum in optimates saevisse ex Alexandri epistula v. 8 sq. discimus. Tituli argumentum Lenschau satis recte exposuit, quare verba eius adferam: „initio, quod servatum non est, rex fortasse imperaverat, ut omnes, in quos crimen coniectum esset, statim custodia tenerentur, populus vero certam quandam definiret pecuniam eosque solos in vincula coniceret, qui pecuniam illam non solverent. Addit deinde multam magistratui irrogandam esse, si qui custodia effugerit et vetat quemquam in posterum quod Persarum rebus studuerit accusari Ad postremum hominem quendam sibi amicum populo commendat et in fine epistulae Chiis pollicetur se quoque gratias iis relaturum, si in hac re imperata fecerint.“ Contra, quo tempore epistula data sit, mea quidem sententia non recte definivit: putat enim titulum post Hegelochi expeditionem anno 332 exaratum esse, quod mihi non verisimile videtur esse; sed certi quicquam dici non potest ¹⁾). Homo ille, quem populo commendavit Alexander, sine dubio erat exsul, quem in patriam restitui valuit.

(10) 2. Photius, bibl. 176 (203 H. 392 R.): τὴν δὲ κάδοον (sc. Theopompi) Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνων βασιλέως δι' ἐπιστολῶν τῶν πρὸς τοὺς Χίους καταπραξαμένου: ἐτῶν δὲ εἶναι τὸν Θεόπομπον πέντε καὶ τεσσαράκοντα.

Theopompum anno 332 rediisse recte viderunt Krüger ad Clintonis Fast. hell. p. 385 n. ⁵ et Schaefer, Dem. III p. 184 n. 1. De re dubitari non potest.

1) Adler p. 7 etiam titulum anno 332 exaratum esse putat collata epistula Alexandri de Theopompo in patriam restituendo ad Chios data; sed hac e re nihil mea quidem sententia efficitur.

(11) 3. Athen. XII 539' 540^a: ἔγραψε δὲ καὶ τότε (πατέ Kaibel) Ἀλέξανδρος ταῖς ἐν Ἰωνίᾳ πόλεσι καὶ πρώτοις Χίοις ἔπος αὐτῷ πορφύραν ἀποστείλωσιν. ἤθελε γὰρ τοὺς ἑταίρους ἅπαντας ἀλουργὰς ἐνδύσαι στολὰς. ἀναγνωσθείσης δὲ τῆς ἐπιστολῆς Χίοις παρῶν Θεόκριτος ὁ σοφιστὴς νῦν ἐγνωκέναι ἔφη τὸ παρ' Ὀμήρῳ εἰρημένον „τὸν δ' ἔλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.“

Eadem narratiuncula exstat apud Plutarchum, de educ. puer. 14 (p. 11^a); quod Plutarchus pro Chiis Graecos dixit nihil est. Theocritum adversas Theopompi in re publica partes secutum esse scimus ex Strabone XIV p. 645^c et ex Suida s. v. Θεόκριτος. De Alexandri epistula equidem non dubito.

e) ad Mytilenaeos.

(12) 1. Commemoratur edictum Alexandri in titulo CIG 2166 v. 28: ταῖς διαλυσίεσσι, ταῖς ὁ βασιλεὺς ἐπεκρίνε[τ]ο. Titulum ediderunt praeterea Collitz I 214, Cauer, del' n. 119; cf. praeterea Lolling, Mitth. XI p. 272; Cichorius, Mitth. XIII p. 54.

(13) 2. Titulus mutilissimus, inventus Mytilenis. ed. C. Cichorius, l. 1. p. 55.

. . . ηντο ἔπος	Ne quid praetermissis videar etiam
. . . ω αὐτὸν ὡς εἰ	hunc titulum mutilissimum attuli;
. . . ε]ν ἔκρινον	si omnes regum epistulas una edidissem,
ἔβρω]σ θε	inter fragmenta incerta fragmentum illud posuissem. Cichorius
προτιθέν[αι ἐν στάλλα	recte vidit hoc esse fragmentum epistulae regiae,
βα]σιλε ὕ[ς	sed utrum Alexandro tribuenda sit, necne, omnino incertum est.

f) ad Eresios.

(14) 1. Titulus Eresi inventus. A ex Kiepertii apographo ed. Boeckh, CIG. 2166^b; totum titulum (A, B, C) edd. A. Conze, Reise nach d. Insel Lesbos, 1865 p. 35 sq.;

H. Sauppe, De duabus inscriptionibus Lesbiacis, Gott. 1870; Cauer, del.¹ n. 123; Collitz, I n. 281; Droysen, Hell. II p. 363 sq. Ne longus fiam, nisi versus, ubi de Alexandri epistula mentio fiat, non adferam.

A 35 sq. καὶ Ἀλέξανδρος τὰν διαγράφαν ἀπέπεμψε ἀφικουμένων πρὸς αὐτὸν τῶν (τῶν) πρότερον τυράννων ἀπογ[ό]νων Ἡρωΐδα τε τῷ Τερτικωνεῖω τῷ Ἡραεῖω καὶ Ἰ[Α]γγησιμένε[ο]ς τῷ Ἐρμησιδεῖω καὶ ἐπαγγελλα[μέ]νων πρὸς Ἀλέξανδρον ὅτι ἔτοιμοὶ εἰσι δίκ[αν] (Cauer δίκ[ας]) || [ὕ]ποσχέθη περὶ τῶν ἐγκαλημένων ἐν τῷ δάμω . . .

B 15—20: κ[ρί]ναι μὲν αὐτὸν [κ]ρύπτα φαίσει [κατ]ὰ τὰν διαγράφαν τ[ῷ] βασιλέως Ἀλεξάνδ[ρω] καὶ τοῖς νόμοις.

C 10 ἐπειδὴ καὶ π[ρό]τερον ὁ βασιλεὺς Ἀλέξανδρος διαγράφαν ἀποστέλλαις προσέταξε [Ἐρε]στοῖς κρίναι ὑπὲρ τε [Ἄ]γωνίππ[ω] καὶ [Εὐ]ρυσιλά[ω], τί δεῖ πάθην αὐτοῖς, [ὁ] δὲ δᾶμος ἀκούσας τὰν διαγράφαν δικαστήριον κτλ.

v. 18 sq.: ἐπιστέλλ[αντος] δὲ Ἀλεξάνδρω καὶ ὑπὲρ τῶν Ἀπολλο[δ]ωρε[ῶν] καὶ τῶν κασιγνήτων [αἰ]τ[ῶ], Ἐρμωνος καὶ Ἡραῖω, τῶμ πρότερον τυραννησάντων τὰς πόλεις καὶ τῶν ἀπογόνων αὐτῶν, κ[ρί]ναι τὸν δᾶμον, πότερον [ν]όμ[ω]ν καταπορεύεσθ[αι] αὐτοῖς ἢ μή, [ὁ] δὲ δᾶμος ἀκούσας τα[ῖς] διαγράφα[ις] δικαστήριόν τε αὐτοῖσι συνάγαγε κατὰ τὸν [νό]μον καὶ τὰν διαγράφαν τῷ βασιλέως Ἀλεξάνδ[ρω] κτλ. Cf. v. 33/4: διαγράφαί τῶν βασιλέων κατὰ τυράννων.

De re cf. Sauppe l. l. et Droysen l. l. p. 369 sq. Titulus valde est iucundus praesertim cum ex tituli verbis cognosci possint, quae in Alexandri epistula scripta fuerint. Quod Sauppe totam Alexandri epistulam ad verbum in lapide inscriptam fuisse putat (p. 21), erravit vir doctissimus: error ille ex eo ortus est, quod fragmenta non recte disposuit¹).

g) ad Calymnaeos.

(15) 1. CIG. 2671 v. 45: „ἔκριναν διὰ ψάφου κατὰ τε τὸ διάγραμ[μα τοῦ] βασιλέως καὶ τοὺς νόμους. Cf. Cauer, del.¹ n. 69.

1) Falso Adler p. 6 Sauppio assensus est.

h) ad universos Graecos.

(16) 1. Plut. Alx. 34: φιλοτιμούμενος δὲ πρὸς τοὺς Ἕλληνας ἔγραψε τὰς τυραννίδας πάσας καταλυθῆναι καὶ πολιτεύειν αὐτονόμους, ἰδίᾳ δὲ Πλαταιεῦσι τὴν πόλιν οἰκοδομεῖν, ὅτι τὴν χώραν οἱ πατέρες αὐτῶν ἐναγωνίσασθαι τοῖς Ἕλλησιν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας παρέσχον.

Plutarchus narrat Alexandrum post Dareum apud Arbela victum gloriose Graecis scripsisse τὰς τυραννίδας πάσας καταλυθῆναι καὶ πολιτεύειν αὐτονόμους. Vere anni 330 Alexander Graecorum auxilia domum remisit, quia bellum a syndrio Corinthio decretum Persarum regno expugnato confectum esse videbatur; tunc quoque equidem eum epistulam, quam adfert Plutarchus, scripsisse puto: rex enim Persarum column omnium tyrannorum erat, ut Alexander gloriari posset eo devicto etiam omnes tyrannides esse fractas¹). Proprie haec verba nihil sunt nisi reintegratio eorum, quae a syndrio Corinthio constituta erant: ἐλευθέρους εἶναι καὶ αὐτονόμους τοὺς Ἕλληνας. Sic equidem haec verba satis obscura intellego. Prorsus alia est sententia Hanseni l. l. p. 291, quae permira mihi esse videtur; liceat mihi verba eius adferre: „Welche tyrannides gemeint sind, wissen wir nicht; Alexander fürchtete vielleicht, zumal in jener Zeit, wo der agidische Krieg ausbrach, dass in einigen Städten, besonders in Athen, die ihm feindselige Richtung wieder zur Herrschaft kommen, könne mit einer der Tyrannis ähnlichen Gewalt (sic!) und forderte desswegen die Griechen in diesem Manifeste auf sich ruhig zu verhalten

1) Huic sententiae non obstat etiam postea nonnullis locis tyrannos fuisse; is, qui orationem περὶ τῶν πρὸς Ἀλέξανδρον συνθηκῶν habuit, anno 331/0 ni fallor, queritur Alexandrum συνθήκας non servasse: § 8 ἐπιτάττει ἢ συνθήκη εὐθὺς ἐν ἀρχῇ ἐλευθέρους εἶναι καὶ αὐτονόμους τοὺς Ἕλληνας, Alexandrum autem tyrannos nonnullis civitatibus imposuisse; sed si rem omnem spectas, Graeci satis sui iuris facti erant. Arr. I 18, 1 sq.; Diod. XVII, 24. Cf. Lenschau l. l. p. 166; Droysen, Monber. d. Berl. Acad. 1877 p. 31 sq. Cur Adler p. 32 hanc epistulam Graeculi cuiusdam somnia esse dixerit, quod ex Plataeis commemoratis appareret, omnino non intellego.

und die der Autonomie feindseligen Bestrebungen zu unterdrücken, zumal er selbst seine Liebe zum Hellenenthum durch die Wiederaufbauung Platäas hinreichend documentire“. Quae explicatio, imprimis verbi τυραννίδας, mihi nimis arcessita esse videtur: ipsum verbum φιλοτιμούμενος mea quidem sententia tali explicationi obstat.

De altera epistula, ad Plataeenses dico, cf. Schaefer, Dem. III p. 19 n. 1; Clinton, F. H. II p. 405 n. x (ed. Krueger); Hansen l. l. Plutarchus Arist. 11 narrat, Alexandrum etiam Olympiae renuntiassse, se Plataeas restituere, ἐπειδὴ τοῖς Ἑλλησιν ἐν τῷ Μηδικῷ πολέμῳ τὴν χώραν ἐπέδωκαν καὶ παρέσχον αὐτοὺς προθυματάτους; cf. de re Arist. 11. Fulst 1) in programme accuratissime conscripto coniecit Plutarchum Arist. 11 Idomenea Lampsacenum auctorem sequi, fortasse recte. Equidem de his epistulis non dubito, quin ab Alexandro re vera scriptae sint, sed sumpsit eas Plutarchus non ex epistularum collectione, immo ex scriptore quodam.

(12) 2. Diod. XVIII 8, 4. Βασιλεὺς Ἀλέξανδρος τοῖς ἐκ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων φυγάσι. τοῦ μὲν φεύγειν ὑμᾶς οὐχ ἡμεῖς αἴτιοι γεγόναμεν, τοῦ δὲ κατελθεῖν εἰς τὰς ἰδίας πατρίδας ἡμεῖς ἐσόμεθα πλὴν τῶν ἐναγῶν. γεγράφαμεν δ' Ἀντιπάτρῳ περὶ τούτων, ὅπως τὰς μὴ βουλομένας τῶν πόλεων καταγειν ἀναγκάσει. Cf. Curt. X 2, 4; Just. XIII 5, 2; Diod. XVII 109; Din. I 82; Hyper. κατὰ Δημ. 16; Oros. III 23, 14³).

Alexander ex India reversus per epistulas ad Graecos missas edixit, ut exsules restituerentur. Quod edictum ludis Olympiis anni 324 renuntiatum manifesto pugnabat cum pacto Corinthio, in quo disertissime planissimeque scriptum erat αὐτονόμους εἶναι καὶ ἐλευθέρους τοὺς Ἑλληνας atque vebantur exsules restitui. Alexander, cum edictum illud misit, desiit ἡγεμών esse Graecorum; Graecia ei nihil erat nisi provincia regni Persarum. Quo latius regni fines patebant, eo maior facta est imperii commutatio novumque sibi Alexander

1) W. Fulst, Ueber d. Quellen Plutarchs für d. Leben d. Aristides, Duderstadt 1885 p. 9.

2) Falso Susemihl, l. l. p. 593 sq. et hanc epistulam et epistulam Alexandri ad Dareum (Arr. II 14) fictas esse dixit.

induit ingenium: tyrannus Asiaticus factus est, qui servilem oboedientiam ab iis, qui imperio subiecti erant, expectabat flagitabatque. Sine dubio exsules ipsi ei persuaserant, ut edictum illud mitteret, cuius rei documentò esse potest titulus Eresius Collitz I n. 281 v. 35 sq., quem supra p. 33 sq. attuli. Ad Alexandrum purgandum adferri potest, multos homines miseros ita restitutos esse. Quod epistulae fidem attinet, non dubito, quin his ipsis verbis ab Alexandro scripta fuerit Diodorusque eam sumpserit ex Hieronymo Cardiano, auctore optimo 1); cf. Schaefer, Dem. III p. 315 sq. Droysen I 2 p. 273 sq. Grote XII p. 130 sq. Kaerst l. l. p. 26. Sed equidem non totam epistulam a Diodoro allatam esse puto; Diodorus, Curtius, Justinus sane nihil aliud tradunt nisi exsules restitutos esse, sed duo habemus testimonia, ex quibus mea quidem sententia apertissimum est, etiam plura in edicto illo infuisse: alterum apud Hyper. κατὰ Δημ. 16 (15), alterum apud Plut. Mor. ἀποφθ. Λακων: Εὐδαμίδου 9 p. 221^a. In Hyperidis oratione scriptum est: τὰ δ' ἐν Πελοποννήσῳ καὶ τῇ ἄλλῃ Ἑλλάδι οὕτως ἔχοντα κατέλαβεν ὑπὸ τῆς ἀφίξεως τῆς Νικάνορος καὶ τῶν ἐπιταγμάτων²), ὧν ἦκε φέρων παρ' Ἀλεξάνδρου περὶ τε τῶν φυγάδων καὶ περὶ τοῦ τοὺς κοινούς συλλόγουσ Ἀχαιῶν τε καὶ Ἀρκάδων καὶ Β[οιωτῶν Alterum testimonium exstat apud Plut. Mor. p. 221^a: Ἀλεξάνδρου κηρύξαντος ἐν Ὀλυμπίᾳ κατιέναι τοὺς φυγάδας ἅπαντας εἰς τὴν ἰδίαν πλὴν Θηβαίων κτλ.³). Ex his locis vide-

1) Adler p. 20 pluralem maiestatis offensionem esse dicit, quem alibi apud Alexandrum non reperiamus; usum autem esse eum numero illo, cum sollemniter quae facta vellet toti Graecorum populo nuntiaret, haud esse incredibile. Nimis parvus nobis superest epistularum Alexandri fragmentorum numerus quam ut dicere possimus, quomodo Alexander epistulas suas extremis aetatis suae annis scripserit. Ceterum cf. de numero, quae p. 5 n. 7 exposui.

2) Edicta etiam apud Lucian. ῥητόρων διδάσκαλος 5 ἐπιτάγματα appellantur: ἦρχε μὲν γὰρ ἤδη Περσῶν Ἀλέξανδρος μετὰ τὴν ἐν Ἀρβήλοις μάχην Δαρείον καθηρηκώς, ἔδει δὲ πανταχόσε τῆς ἀρχῆς διαθεῖν τοὺς γραμματοφόρους τὰ ἐπιτάγματα τοῦ Ἀλεξάνδρου κομίζοντας κτλ.

3) Utrum in eodem edicto de Plataearum restitutione dictum fuerit necne diiudicare non audeo, quamquam res a probabilitate non

mus plura Olympiae esse renuntiata; sed hoc fidei epistulae a Diodoro allatae non obstat: XVIII 8 causae belli Lamiae adferuntur, quarum gravissima erat sine dubio relegatorum restitutio. Quid Alexander de κοινοῖς συλλόγοις Achaeorum, Arcadum, Boeotorumque scripserit prorsus incertum est, quod valde dolendum. De exsulum restitutione complures habemus titulos cf. Schaefer l. l. p. 319 n. 2 extr. (edicta Alexandri in titulis διάγραμμα vel διαγραφή appellantur [cf. supra p. 33 sq. n. 14. 15]), ex quibus conicere possumus, id quod etiam per se maxime est verisimile, omnibus civitatibus exemplaria missa esse, ubi mandata accuratissima inessent. De hoc edicto Alexander quodammodo purgari potuit; non vero idem valet de altero Alexandri edicto, de quo iam dicendum est.

(18) 3. Aelian. var. hist. II 19: Ἀλέξανδρος ὅτε ἐνίκησε Δαρεῖον καὶ τὴν Περσῶν ἀρχὴν κατεκτήσατο, μέγα ἐφ' ἑαυτῷ φρονῶν καὶ ὑπὸ τῆς εὐτυχίας τῆς περιλαβούσης αὐτὸν τότε ἐκθεοῦμενος, ἐπέστειλε τοῖς Ἕλλησι θεὸν αὐτὸν ψηφίσασθαι. Cf. apophth. Lacon: Δάμιδος (Plut. Mor. p. 219 °); Din. I 94; Hyper. κατὰ Δημ. 11.

Droysen I 2 p. 273 recte coniecit Alexandrum ex India reversum a Graecis divinos honores postulasse, sed erravit vir doctissimus, cum hoc utique necessarium fuisse diceret ad statum imperii sustinendum, quod iam optime animadvertit Thirlwall VII p. 91 n. 1¹). Alexander Graecos penitus perspexerat, ut optime scire deberet, eos numquam se re vera deum esse credituros. Divinos honores ei habere poterant, quia hoc postulabat, sed Thirlwall recte dixit: „the feelings which it really excited partook much more of either indigna-

abhorret. Diod. XVIII 56 adfert edictum Polysperchontis, quod similiter compositum sed multo plenius est; ibi exsules enumerantur, quos restituere non licebat, praemissis in universum verbis: πλὴν εἴ τινες ἐφ' αἵματι ἢ ἀσεβείᾳ κατὰ νόμον πεφεύγασιν.

1) Cf. etiam Nissen, Rh. Mus. XLVII p. 204: „die Ausrede, dass die Selbstvergötterung durch Rücksichten der Politik geboten gewesen sei, verfängt nicht; sie war lediglich ein Ausfluss persönlicher Eitelkeit.

tion or contempt“ . . . (p. 90) „the measure looks more like the act of a despot, who would degrade a conquered people, that he might trample on him“; cf. etiam Schaefer, Dem. III p. 312 sq. De epistula ipsa minime dubitare licet¹).

2. Alexandri epistulae ad Dareum et Darei ad Alexandrum missae.

(19) 1. Arrian. II 14: ἔτι δὲ ἐν Μαράθῳ Ἀλεξάνδρου ὄντος ἀφίκοντο παρὰ Δαρείου πρέσβεις, ἐπιστολὴν τε κομίζοντες Δαρείου . . . πρὸς ταῦτα ἀντιγράφει Ἀλέξανδρος καὶ ἑμπέμπει τοῖς παρὰ Δαρείου ἐλθοῦσι Θέρσιππον, παραγγείλας τὴν ἐπιστολὴν δοῦναι Δαρείῳ, αὐτὸν δὲ μὴ διαλέγεσθαι ὑπὲρ μηδενός. ἡ δὲ ἐπιστολὴ Ἀλεξάνδρου ἔχει ὧδε. Οἱ ὑμέτεροι πρόγονοι ἐλθόντες εἰς Μακεδονίαν καὶ εἰς τὴν ἄλλην Ἑλλάδα βακῶς ἐποίησαν ἡμᾶς οὐδὲν προηδικημένοι. ἐγὼ δὲ τῶν Ἑλλήνων ἡγεμῶν κατασταθεὶς καὶ τιμωρήσασθαι βουλόμενος Πέρσας διέβην εἰς τὴν Ἀσίαν ὑπαρξάντων ὑμῶν. καὶ γὰρ Περινθίοις ἐβοηθήσατε, οἱ τὸν ἐμὸν πατέρα ἠδίκουν, καὶ εἰς Θράκην, ἧς ἡμεῖς ἤρχομεν, δύναμιν ἐπεμψε Ὀχρος. τοῦ δὲ πατρὸς ἀποθανόντος ὑπὸ τῶν ἐπιβουλευσάντων, οὓς ὑμεῖς συνετάξατε, ὡς αὐτοὶ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς πρὸς ἅπαντας ἐκομπάσατε, καὶ Ἄρσην ἀποκτείναντός σου μετὰ Βαγῶου, καὶ τὴν ἀρχὴν κατασχόντος οὐ δικαίως οὐδὲ κατὰ τὸν Περσῶν νόμον, ἀλλὰ ἀδι-

1) Schaefer, Fl. Jhb. 1870 p. 444 et Hansen p. 292 etiam in verbis Plut. Alx. 34: ἐπεμψε δὲ καὶ Κροτωνιάταις εἰς Ἰταλίαν μέρος τῶν λαφύρων τὴν Φαύλλου τοῦ ἀθλητοῦ τιμῶν προθυμίαν καὶ ἀρετὴν, ὅς περὶ τὰ Μηδικὰ τῶν ἄλλων Ἰταλιωτῶν ἀπεγνωκότων τοὺς Ἕλληνας ἰδιόστολον ἔχων ναῦν ἐπλευσεν εἰς Σαλαμίνα τοῦ κινδύνου τι μεθέξων. epistulam Alexandri latere suspicantur. Fieri potest, ut Alexander Crotoniensibus epistulam scripserit, sed ex his Plutarchi verbis hoc pro certo dicere non ausus sim, cum nihil de ea scriptum sit, immo Plutarchus ea, quae tradit, itidem ex historico nescio quo habere potest. Quare equidem hunc locum inter Alexandri epistulas non numeraverim, cum nisi de locis, qui sine dubio ex epistulis sumpti sint, verba non faciam.

κοῦντος Πέρσας, καὶ ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τοὺς Ἕλληνας γράμματα οὐκ ἐπιτήδεια πέμποντος, ὅπως πρὸς με πολεμῶσι, καὶ χρήματα ἀποστέλλοντος πρὸς Λακεδαιμονίους καὶ ἄλλους τινὰς τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν μὲν ἄλλων πόλεων οὐδεμιᾶς δεχομένης, Λακεδαιμονίων δὲ λαβόντων, καὶ τῶν παρὰ σοῦ πεμφθέντων τοὺς ἐμούς φίλους διαφθειράντων καὶ τὴν εἰρήνην ἣν τοῖς Ἕλλησι κατεσκευάσα διαλύειν ἐπιχειρούντων ἐστράτευσα ἐπὶ σε ὑπάρξαντός σου τῆς ἔχθρας. ἐπειδὴ δὲ μάχῃ νενίκηκα πρότερον μὲν τοὺς σοὺς στρατηγούς καὶ σατράπας, νῦν δὲ σὲ καὶ τὴν μετὰ σοῦ δύναμιν καὶ τὴν χώραν ἔχω, τῶν θεῶν μοι δόντων, ὅσοι τῶν μετὰ σοῦ παραταξαμένων μὴ ἐν τῇ μάχῃ ἀπέθανον, ἀλλὰ παρ' ἐμὲ κατέφυγον τούτων ἐπιμέλομαι καὶ οὐκ ἄκοντες παρ' ἐμοῖ εἰσιν, ἀλλὰ αὐτοὶ ἐκόντες ξυστρατεύονται μετ' ἐμοῦ. ὡς οὖν ἐμοῦ τῆς Ἀσίας ἀπάσης κυρίου ὄντος ἦκε πρὸς ἐμέ. εἰ δὲ φοβῆ μὴ ἐλθῶν πάθῃς τι ἐξ ἐμοῦ ἄχαρι, πέμπε τινὰς τῶν φίλων τὰ πιστὰ ληφομένους. ἐλθῶν δὲ πρὸς με τὴν μητέρα καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τοὺς παῖδας καὶ εἰ ἄλλο τι ἐθέλεις αἶτει καὶ λάμβανε. ὅτι γὰρ ἂν πείθῃς ἐμὲ ἔσται σοι. καὶ τοῦ λοιποῦ ὅταν πέμπῃς, παρ' ἐμὲ ὡς βασιλέα τῆς Ἀσίας πέμπε, μὴδὲ ἂ βούλει ἐξ ἴσου ἐπίστελλε, ἀλλ' ὡς κυρὶφ ὄντι πάντων τῶν σῶν φράζε εἰ τοῦ δέη. εἰ δὲ μὴ, ἐγὼ βουλεύσομαι περὶ σοῦ ὡς ἀδικούντος. εἰ δὲ ἀντιλέγεις περὶ τῆς βασιλείας ὑπομείνας ἔτι ἀγώνισαι περὶ αὐτῆς καὶ μὴ φεῦγε, ὡς ἐγὼ ἐπὶ σὲ πορεύσομαι οὐ ἂν ἦς.

(20) 2. Arrian. II 25 ἔτι δὲ ἐν τῇ πολιορκίᾳ τῆς Τύρων ξυνεχομένου Ἀλεξάνδρου ἀφίκοντο παρὰ Δαρείου πρέσβεις ὡς αὐτόν (Alexandri responsum) ἔφη γὰρ οὔτε χρημάτων δεῖσθαι παρὰ Δαρείου οὔτε τῆς χώρας λαβεῖν ἀντὶ τῆς πάσης τὸ μέρος· εἶναι γὰρ τὰ τε χρήματα καὶ τὴν χώραν αὐτοῦ πᾶσαν· γῆμαί τε ἂν ἐθέλῃ τὴν Δαρείου παῖδα, γῆμαι ἂν καὶ οὐ διδόντος Δαρείου· ἐκέλευέ τε αὐτὸν ἦκειν, εἰ τι εὐρέσθαι ἐθέλοι φιλόφρονον παρ' αὐτοῦ.

Cf. Just. XI 12; Curt. IV 1, 7 sq.; 5, 1 sq.; 11, 1 sq.; Diod. XVII 39; 54. Plut. Alx. 29. Val. Max. VI 4 ext. 3. Zonar. IV 10. Plut. reg. et imper. apophth.: Ἀλεξ. 11 p. 180^b. Itin. Alxi. 39. 40. 43. 44. Ps. Call. II 17. Darei epistulas infra adferam. Cf. n. 84. 85.

Quaestio de Alexandri et Darei epistulis scriptis et allatis una omnium est contortissima, quare, quot homines docti de iis verba fecerunt, tot fere prolatae sunt sententiae. Ac de re quidem ipsa nulla inter homines doctos est dissensio: omnes, excepto Neumanno Fl. Jhb. 1883 p. 545 sq., de cuius sententia postea dicam, Arrianum secuti sunt. Alexander Marathi epistolam a Dareo accepit, qua hic petebat, ut ille matrem, coniugem liberosque dimitteret; praeterea illi foedus et societatem offerebat postulabatque, ut legatos mitteret, qui foedus illud sancirent. Sermo, quo Dareus in epistula utebatur, omnino cum rebus non congruebat eoque valde offensus est Alexander; tantum enim aberat, ut se esse victum Dareus fateretur, ut foedus Alexandro quasi beneficium offerret. Epistulae illi Darei superbe scriptae plane congruebat victoris responsum: postulationem repudiavit spiritusque regios repressit: si quid ille se vellet, ipse veniret; fidem se illi daturum. In Tyri oppugnatione altera Darei Alexandro allata est epistula: qua filiam ei in matrimonium dabat offerebatque Asiam usque ad Euphraten flumen et decem milia talentum pro redemptione cognatorum. Sed has quoque condiciones Alexander repudiavit.

Quae attuli exstant apud Arrianum II 14 et 25, qui sine dubio eam memoriam sumpsit ex Aristobulo. Relationi suae de altera Darei legatione Arrianus inseruit ex λεγομένοις, quae de Parmenione § 2 narrat; haec tantum ex λεγομένοις esse sumpta rectissime contenderunt Hansen et Kaerst¹⁾, quod insuper ex ipsis Arriani verbis apertissimum est: ἀποκρίνεσθαι Δαρείῳ ἅπερ δὴ καὶ ἀπεκρίνατο. ἔφη γάρ . . . (se responsum daturum id, quod etiam dedit. Respondit enim . . .) Si quae sequuntur etiam ex λεγομένοις sumpta essent, numquam Arrianus talibus verbis usus esset; permirum praeterea esset, Arrianum nisi § 2 oratione obliqua non esse usum et verbum λέγουσι § 2 tantum posuisse, cum in ipso capitis initio illud expectaremus. Miror Schaeferum, Luedeckium, Vogelium, Neuman-

1) Hansen, l. l. p. 278; Kaerst, l. l. p. 7 n. 1.

num¹⁾ contendisse, totum locum 25, 1—3 ex λεγομένοις fluxisse.

Venimus iam ad quaestionem contortissimam, quaenam intercedat ratio inter Arrianum et Diodorum, Curtium, Justinum, Plutarchum. Hansen p. 280 sq. scriptorum memorias in uno conspectu posuit.

Ac primum de Diodoro dicam. Diodorus aequae atque Arrianus duas fuisse legationes tradit²⁾. In priore epistula Dareus, ut Diodorus auctor est, Alexandro duo milia talentum et terram usque ad Halyn flumen obtulit, εὐν βουληθῆ γενέσθαι φίλος; alterius legationis condiciones eadem sunt quae apud Arrianum, tantum quod pro decem milibus talentum Diodorus tria milia Dareum obtulisse narrat. De loco ubi Alexander utramque acceperit epistulam Diodorus nihil dicit; nihil tradit nisi Dareum ex Babylone legatos ad Alexandrum misisse (διανύσας εἰς Βαβυλῶνα καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς ἐν Ἴσσοῦ μάχης διασωζομένους ἀναλαβόν . . . ἔγραψεν et ὡς δ' οὐ προσεῖχεν αὐτῷ πάλιν ἔπεμψε ἄλλους πρέσβεις). Prae-

1) Schaefer, l. 1. p. 444. M. Luedecke, De fontibus quibus usus Arrianus anabasin composuit, Lpz. Stud. XI (1889), Lpz. p. 77. Schaefer, Vogel, Luedecke Arrianum hoc loco opus quoddam collectaneum adisse dicunt; quod opus collectaneum, sive a Strabone sive a Satyro compositum est, equidem nihil nisi Schoenii commentum esse contendo, quod falso probaverunt Schaefer, Kaerst, L. Weber, De Plutarcho Alexandri laudatore, Genethliacon Gottingense, Halle 1888 p. 87; 92; alii. Mea quidem sententia rectissime C. Laudien, Ueber d. Quellen z. Gesch. Alexanders d. Grossen, Königsberg 1874 p. III praef., R. Köhler, Eine Quellenkritik z. Gesch. Alex. d. Gr., Lpz. 1879, Lezius, l. 1. p. 7, alii huic sententiae oblocuti sunt eamque ab omni probabilitate abhorre contenderunt.

2) Priorem legationem Diodorus bis commemorat c. 39 et c. 54, tantum quod c. 54 Dareum duo milia talentum Alexandro obtulisse tradit, cum c. 39 πλῆθος χρημάτων dixerit. Falsissima igitur est Crohnii sententia (H. Crohn, De Trogi Pompei apud antiquos auctoritate, Diss. Argent. sel. VII 1882 p. 35), qui Diodorum de tribus legationibus narrasse contendit. Similiter etiam erravit Raun in disputatione satis negligenter scripta: De Clitarcho Diodori, Curtii, Justinii auctore, Bonn 1868 p. 14, cum dixit: „prima Darei legatio, quam Curt. IV 1 tradit, a Diodoro parum diligenter omissa est.“

terea miram de Alexandro commemorat narratiunculam: c. 39: τὴν ἀληθινὴν ἐπιστολὴν ἀποκρυψάμενος ἑτέραν δὲ γράψας ῥέπουσαν πρὸς τὸ ἑαυτῷ συμφέρον προσήνεγκε τοῖς συνέδροις κτλ. Equidem priorem Diodori legationem ex altera oriundam esse puto; nam primum Diodorus iisdem fere utitur verbis, quod iam primo aspectu videmus:

c. 39, 1. εὐν βουληθῆ γενέσθαι φίλος . . . προσετίθει δὲ καὶ τῆς Ἀσίας τὴν ἐντὸς Ἄλυος χώραν . . . vel c. 54, 1: ἐκχωρῶν αὐτῷ τῆς ἐντὸς Ἄλυος ποταμοῦ χώρας καὶ προσεπηγγέλλετο δώσειν ἀργυρίου τάλαντα δισχίλια	c. 54, 2. ἀξιῶν δὲ φίλον γενέσθαι . . . λαβεῖν τὴν ἐντὸς Εὐφράτου χώραν καὶ τάλαντ' ἀργυρίου τρισχίλια.
c. 39, 2. ὁ δ' Ἀλέξανδρος συναγαγὼν τοὺς φίλους καὶ τὴν μὲν ἀληθ. ἐπιστ. ἀποκρυψάμενος . . . προσήνεγκε τοῖς συνέδροις	c. 54, 3. ὁ δ' Ἀλέξανδρος εἰς τὸ συνέδριον παραλαβὼν πάντας τοὺς φίλους καὶ περὶ τῶν προτιθεμένων αἰρέσεων ἀνακοινωσάμενος ἤξιτο . . .

Ne multa, prior epistula quasi imago alterius est, tantum quod in priore epistula Dareus minus largus est. Deinde si hoc persuasum habemus, etiam intellegere possumus, quomodo mira illa de Alexandro narratiuncula orta sit: Alexander priorem epistulam sodalibus suis non ostendit, quia re vera omnino non erat scripta; tota illa narratiuncula ficta est, ut Dareus denuo eadem fere Alexandro offerre possit, nam ni ita esset, omnino non appareret, cur Alexander priorem epistulam, ubi similes atque in altera offerrentur condiciones, sodalibus suis non ostendisset. Rem ita fuisse puto: auctor Diodori non ignorabat, duas fuisse legationes et Alexandrum sodalibus priorem Darei ostendisse epistulam talem, qualem eam praebet Arrianus, i. e. superbe scriptam; cum autem persuadere sibi non posset, Dareum post talem cladem tam superbo usum esse sermone, ipse aliam finxit epistulam, exemplo usus altera Darei epistula, et narratiunculam de epistula subditiva commentus est. Magnam Diodoro gratiam habere debemus, quod

nobis narratiunculam illam servavit, quia per eam intellegere possumus, quomodo memoria illa ab Arriano diversa orta sit ¹⁾ Dareus igitur semel tantum Alexandro regni partem pecuniamque obtulit. Altera epistula Darei apud Arrianum et Diodorum similiter atque uno modo traditur, sequitur deinde apud utrumque, quod de Parmenione narrant omnes scriptores praeter Justinum. Contra Alexandri responsum apud utrumque prorsus diversum est atque etiam in aliis rebus Diodorus differt ab Arriano. Primum ille ante pugnam apud Gaugamela factam Alexandrum epistulam accepisse tradit, hic autem in Tyri oppugnatione. Hoc inde factum est, quod auctor Diodori alteram a Dareo epistulam scriptam esse facit propter comitatem Alexandri erga captivos; quod quamquam a Diodoro non dilucide est dictum, tamen ex ipso epistulae apud Diodorum initio apertissimum est: scribit enim ἐπαινῶν μὲν αὐτὸν ἐπὶ τῷ καλῶς κεχρησθαι τῇ τε μητρὶ καὶ τοῖς ἄλλοις αἰχμαλώτοις. Laus illa omnino obscura est, nisi sumimus auctorem quoque Diodori ea quae de eunucho tradunt Plutarchus, Curtius, Arrianus ²⁾ narrasse, Diodorum vero ea omis- sisse; de re ipsa infra agam. Deinde Diodorus pro decem milibus talentum, quae Arrianus et Plutarchus Alexandro a

1) Non alienum videtur commemorare, priorem Diodori epistulam satis congruere cum Ps. Callisthene II 17, tantum quod hic nimius est in donis offerendis.

Diod. XVII 39.

ἔγραψεν, ἀνθρωπίνως φέρειν τὴν εὐ-
τυχίαν καὶ τοὺς αἰχμαλώτους ἀλλά-
ξασθαι χρημάτων πλήθος λαβόντα.
προσετίθει δὲ καὶ χώραν.

Ps. Call. II 17.

πρῶτον γίνωσκε, ὅτι ἄνθρωπος ἐγεν-
νήθης· ἱκανὸν δὲ τοῦτο ὑπόμνημα
(εἰς) τὸ μὴ μεγαλοφρονεῖν
. . . καὶ ἀπὸδος μοι τὴν μητέρα καὶ τὰ τέκνα
. . . καὶ ἀπὸ τούτων ὑπισχνούμαι σοι
διδόναι τοὺς θησαυροὺς . . . καὶ τῆς
χώρας κυριεύειν.

Qui contentus magni est momenti, cum Ps. Callisthenes ad hanc epistulam narratiunculam de Parmenione adnectat id quod multum sententiae meae favet, priorem epistulam apud Diodorum ex altera esse ortam. In narratiuncula illa de Parmenione et responso ab Alexandro dato Ps. Callisthenes cum Arriano congruit, tantum quod nonnulla rhetorice exornavit.

2) Plut. Alx. 30; Curt. IV 10, 25 sq.; Arr. IV 20.

Dareo oblata esse narrant, tria milia tradit ¹⁾, Curtius et Justinus triginta milia, Valerius Maximus decies centena milia. Equidem auctorem Diodori etiam decem milia tradidisse mendumque hoc loco latere puto. Colligo haec ex reg. et imper. apophth. Ἀλέξ. II p. 180 B: „Δαρείου δὲ δόντος αὐτῷ μύρια τέσσαρα καὶ τὴν Ἀσίαν νεύμασθαι πρὸς αὐτὸν ἐπίσης καὶ Παρμενίωνος εἰπόντος ἔλαβον ἂν εἰ Ἀλέξανδρος ἤμην, Κἀγὼ γὰρ Δία εἶπεν εἰ Παρμενίων ἤμην, ἀπεκρίνατο δὲ Δαρεῖω μήτε τὴν γῆν ἡλίους δύο μήτε τὴν Ἀσίαν δύο βασιλεῖς ὑπομένειν.“ In hac narratiuncula omnia cum Diodoro congruunt praeter decem illa milia, Plutarchum autem ipsum ex alio fonte auctorem suum emendasse prorsus est incredibile ²⁾. Tum Alexandri responsum apud Diodorum et Arrianum prorsus aliter traditur; sed de hac re infra agam, cum de Curtio et Justino verba faciam. Denique et Arrianus et Diodorus iisdem fere verbis utuntur in fine relationis:

Arr. II 25, 3: ταῦτα ὡς ἤκουσε Diod. XVII 55. Δαρεῖος δὲ Δαρεῖος, τὰς μὲν ξυμβάσεις τῶν ἀποκρίσεων ἀκούσας καὶ ἀπέγνω τὰς πρὸς Ἀλέξανδρον, τὴν διὰ τῶν λόγων σύνθεσιν ἐν παρασκευῇ δὲ τοῦ πολέμου ἀπογνοὺς τὴν μὲν δύναμιν καθ' αὔθις ἦν. ἡμέραν συνέταττε κτλ.

In extremis verbis Diodorus differt ab Arriano, quia Alexandrum non multo ante pugnam apud Gaugamela factam epistulam accepisse tradit. Contra iisdem verbis, quibus Arrianus, citatur c. 39, 3 de priore legatione: διόπερ ὁ Δαρεῖος ἀπογνοὺς τὴν διὰ τῶν ἐπιστολῶν σύνθεσιν παρασκευὰς μεγάλας ἐποιεῖτο

1) Hansen p. 277 Diodorum memoria lapsus esse putat, sed hoc mihi minime videtur esse verisimile.

2) C. Schmidt, De apophthegmatum, quae sub Plutarchi nomine feruntur, collectionibus pars I, Greifswald 1879 p. 46 duos hoc loco fontes eosque diversissimos confusos esse dicit; quod mihi quidem minime videtur esse verisimile, cum talis confusionis nullum, quod sciam, in apophthegmatum illa collectione inveniatur exemplum. De fide libelli, qui sub Plutarchi nomine fertur, ἀποφθέγματα βασιλέων καὶ στρατηγῶν omnes fere dubitant homines docti, sed nescio an recte F. Sass, Plutarchs Apophthegmata regum et imperatorum, Ploen 1881 iis oblocutus sit.

πρὸς τὸν πόλεμον; haec quoque favent sententiae meae, de qua supra p. 43 sq. pluribus disserui, priorem Diodori legationem nihil esse nisi imaginem alterius: Diodorus utroque loco iisdem utitur verbis, tantum quod pro tempore et pro re finem immutavit. De hac inter Arrianum Diodorumque congruentia Kaerst l. l. p. 7 recte dixit: „es ist das ein Bericht, der auf die unseren Quellen gemeinsam zu Grunde liegende Ueberlieferung zurückgeht etc.“.

Sed de Diodoro hactenus; iam de Curtio et Justino dicendum est. Curtius et Justinus, si rem omnem spectas, satis inter se congruunt: uterque tres fuisse narrat legationes, uterque in secunda epistula filiae matrimonium et regni partem Alexandro oblata esse tradit, uterque denique tertiam epistulam scriptam esse dicit propter comitatem erga captivos. Contra, si singula sequeris, satis multae insunt differentiae. Jam vero prima Darei epistula et secunda apud Justinum prorsus respondent priori epistulae apud Diodorum, tantum quod etiam filiae matrimonium apud Justinum offertur:

Just. XI 12, 1.

Dareus cum Babyloniam profugisset per epistulas Alexandrum deprecatur redimendarum captivarum sibi potestatem faciat inque eam rem magnam pecuniam pollicetur . . . 3. Interiecto tempore aliae epistulae . . . redduntur, quibus filiae matrimonium et regni portio offertur.

De Alexandri responso Diodorus nihil habet, apud Justinum autem responsa prorsus congruunt cum Alexandri responso ad alteram epistulam apud Arrianum II 25, 3.

Just. XI 12, 2.

sed Alexander in pretium captivarum regnum omne non pecuniam petit . . . 4. sed Alex-

Diod. XVII 39, 1.

Δαρείος δὲ διανύσας εἰς Βαβυλῶνα . . . πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον ἔγραψεν . . . τοὺς αἰχμαλώτους ἀλλάξασθαι χρημάτων πλῆθος λαβόντα· προσετίθει δὲ καὶ τῆς Ἀσίας τὴν ἐντὸς Ἄλυος χώραν καὶ πόλεις συγχωρήσειν κτλ.

ἔφη γὰρ (sc. Alexander) οὕτε χρημάτων δεῖσθαι παρὰ Δαρείου οὕτε τῆς χώρας λαβεῖν ἀντι-

ander sua sibi dari rescripsit, iussitque supplicem venire et regni arbitria victori permittere. Tum spe pacis amissa bellum Darius reparat.

τῆς πάσης τὸ μέρος· εἶναι γὰρ τὰ τε χρήματα καὶ τὴν χώραν αὐτοῦ πάσαν· . . . ἐκέλευέ τε αὐτὸν ἤκειν, εἴ τι εὐρέσθαι ἐθέλοι φιλόανθρωπον παρ' αὐτοῦ. ταῦτα ὡς ἤκουσε Δαρεῖος τὰς μὲν ξυμβάσεις ἀπέγνω τὰς πρὸς Ἀλέξανδρον, ἐν παρασκευῇ δὲ τοῦ πολέμου αὐθις ἦν.

Haec congruentia denuo documento esse potest, priorem Diodori epistulam secundum alterius exemplum esse fictam; nam cum Justinus epistulae Diodori epistulae respondeant, Justinus vero responsa prorsus cum Arriano congruant, conicere possumus, aut Diodori quoque auctorem idem praebuisse responsum, quod Diodorus omiserit, aut, quod mihi verisimilius videtur, nullum omnino exstitisse in auctore illo responsum, quare Trogius vel Timagenes ipsi id ex Aristobulo sumpserint. Quae si ita sunt, etiam intellegere possumus, quomodo factum sit, ut apud Justinum et Curtium iam in secunda epistula filiae matrimonium Alexandro offerretur¹⁾: in Alexandri enim responso Arr. II 25, 3 scriptum est: γῆμαί τε ἂν ἐθέλη τὴν Δαρείου παῖδα γῆμαι ἂν καὶ οὐ διδόντος Δαρείου; cum autem auctor Justinus Curtii quoque hoc responso usus sit ad responsa sua facienda, etiam filiae matrimonium ei in Darei epistulam inserendum erat.

Transeamus iam ad Curtium. Jam primo aspectu videmus Curtii relationem ex memoria Arrianea et Diodorea²⁾ esse

1) Cogitari etiam potest, ex errore hanc memoriam esse ortam; Diodorus enim dicit τὴν ἑτέραν τ. ἐ. θ., ἕτερος vero duas habet significationes: „der eine von beiden“ et „der zweite, der andere“, ut „alter“ in lingua Latina. Hoc verbo non recte intellecto facillime oriri potuit memoria, iam per priorem legationem Dareum filiae matrimonium Alexandro obtulisse.

2) Brevitatis causa equidem his verbis usus sum; verbo „Clitarchea“, quod usurpare solent homines docti, uti nolui, cum sententiam illam non probarem. F. Schoenle, Diodorstudien, Berlin 1891 nuperrime de Diodoro optime disputavit atque dogma illud, ut ita dicam, Clitarcheum pervertit.

compositam. Ex memoria Arrianea Curtius habet haec: Alexandrum primam Darei epistulam Marathi accepisse; in epistula ipsa etiam nonnulla cum Arriano congruunt:

γυναϊκά τε τὴν αὐτοῦ αἰτεῖν
καὶ μητέρα καὶ παῖδας τοὺς
ἀλόντας καὶ φίλιαν ἐθέλειν
ποιήσασθαι πρὸς Ἀλέξανδρον
καὶ ξύμμαχος εἶναι Ἀλεξάνδρῳ·
καὶ ὑπὲρ τούτων πέμπειν ἡξίου
. . . . τοὺς τὰ πιστὰ ληψομέ-
νους τε καὶ ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου
δώσοντας. Πρὸς ταῦτα ἀντι-
γράφει Ἀλέξανδρος καὶ ξυμπέμ-
πει . . . Θέρσιππον . . . τὴν
ἐπιστολὴν δοῦναι Δαρείῳ.

Sed his congruentibus rebus remotis epistula Darei prorsus aliter est scripta; sic Arr. βασιλεὺς παρὰ βασιλέως αἰτεῖν habet, Curt. autem: Dareus sibi regis titulum nec eundem Alexandri nomini adscripserat. Postulabat autem magis quam petebat etc. Quod Justinus et Diodorus narrant, Alexandro pecuniam pro captivis esse oblatam, etiam Curtius tradit. Contra Alexandri responsum prorsus cum Arriano congruit, sed cum Petersdorff¹⁾ omnia fere congruentia composuerit, idem denuo facere non iuvat. Secundam Darei epistulam in Tyri oppugnatione Curtius ut Arrianus Alexandro allatam esse tradit, epistula autem ipsa respondet Diodoro-Justino, etsi rhetorice exornata est a Curtio. Alexandri responsum idem est atque apud Justinum, quem cum Arriano congruere supra demonstravi: „Alx. . . . respondit Dareum sibi aliena pro-

1) R. Petersdorff, Diodorus, Curtius, Arrianus, quibus ex fontibus . . . hauserint, Gedani 1870 p. 17 sq. Quod Petersdorff Justinum aequae atque Diodorum responsi prima Darei epistula accepta ab Alexandro dati mentionem non fecisse dixit, erravit, ut supra p. 46 vidimus.

mittere . . . leges autem a victoribus dici, accipi a victis¹⁾.“ Praeterea unum enuntiatum congruit cum priore Arriani responso II 14, 9 fin.

quocumque ille fugere potuisset, μὴ φεῦγε, ὡς ἐγὼ ἐπὶ σὲ
ipsum sequi posse. πορεύσομαι, οὐ ἂν ἦς.

Denique apud Curtium IV 6, 1 habes eadem, quae apud ceteros scriptores: „Dareus desperata pace, quam per litteras legatosque impetrari posse crediderat, ad reparandas vires bellumque impigre renovandum intendit animum“ (cf. supra p. 46).

Venimus iam ad tertiam epistulam, de qua paullo uberius disserendum videtur. Tertiam epistulam et Diodorus et Curtius et Justinus a Dareo scriptam esse dicunt propter comitatem Alexandri erga cognatos Dareo. Et Curtius et Justinus narrant, Dareum cum magno exercitu Alexandro obviam iisse, in itinere vero a spadone audivisse uxorem suam de vita decessisse eiusque morti Alexandrum illacrimatum esse, idque non amore sed humanitate motum fecisse; quam ob rem Dareum tertiam Alexandro scripsisse epistulam. Epistula ipsa apud Diodorum, Curtium, Justinum prorsus eadem est; de numero pecuniae iam supra p. 44 sq. dixi. Sequitur deinde apud Diodorum et Curtium narratiuncula de Parmenione, quam omisit Justinus: in auctore eius sine dubio ea quoque inerat. Alexandri responsum apud Diodorum et Justinum prorsus congruit; contra Curtii memoria ex variis relationibus est composita: initium cum Justino congruit²⁾; quae sequuntur orta

1) Cf. Caes. de bell. Gall. I 36. Idem exstat apud Ps. Callisthenem II 1 in epistula Alexandri ad Athenienses: οὐ προσήκει τοῖς κρατουμένοις, ἀλλὰ τοῖς κρατοῦσι [ταῦτα] πρέπει καὶ ἐπιτάττειν καὶ ποιεῖν τοῦτο. Novam de Pseudocallisthene, imprimis de fontibus, quibus ille usus sit, quaestionem instituere res est una omnium maxime necessaria; rectissime J. Zacher dixit (Ps. Callisthenes, Halle 1867 p. VII praef.): „auch der Historiker würde diese sagenhafte Geschichte Alexanders gewiss nicht ohne fruchtbare Belehrung und Anregung durchforschen und mit jenem Quellenmaterial vergleichen, welches historische Glaubwürdigkeit zu geniessen pflegt oder beansprucht.“

2) Denuo invenimus congruentiam cum Ps. Callisthene II 10: οὐ γὰρ φοβούμενός σε, scribit Alexander, τετίμηκα τοὺς ποτε σοὺς, οὐτε

sunt ex memoria quam solus habet Curtius IV 10, 16: „interceptae deinde Darei litterae sunt, quibus Graeci milites sollicitabantur, ut regem aut interficerent aut proderent“; undenam haec habeat Curtius omnino incertum est. Reliqua denique ex memoria Arrianea et Diodorea sunt composita. De causa mortis Justinus et Curtius inter se differunt: Justinus eam „ex collisione abiecti partus“, Curtius vero itineris continui labore animique aegritudine fatigatam collapsam et extinctam esse dicit. Diodorus nihil tradit nisi ἅμα δὲ τούτοις πραττομένοις τῆς τοῦ Δαρείου γυναικὸς ἀποθανούσης ὁ Ἀλέξανδρος ἔθαψεν αὐτὴν μεγαλοπρεπῶς; Diodorus igitur auctor est Darei uxorem post legationem mortuam esse, vel potius ἅμα τούτοις πραττομένοις, certe non ante legationem. Darei uxorem ἐν ὠδίσι mortuam esse tradit etiam Plut. Alx. 30; denique Arr. IV 20 ex λεγομένοις etiam narratiunculam de spadone praebet et ὀλίγον μετὰ τὴν μάχην ἢ πρὸς Ἰσοφῶ Δαρείῳ τε καὶ Ἀλεξάνδρῳ συνέβη id evenisse dicit, Darei uxore etiamtum viva. Quaeritur hic, quaenam intercedat ratio inter varias illas relationes. Equidem tres relationis gradus distingo. Ex Arriano et Diodoro primam memoriae formam cognosci posse puto, rem vero ab auctore Diodori, quem equidem Callisthenem¹⁾ esse suspicor, ita narratam esse conicio: non ita multo post pugnam apud Issum commissam spado, nomine Tyriotes vel Teireos, ad Dareum confugit et sermonem contulit cum eo talem, qualem tradit Arrianus IV 20 vel Plutarchus, Alx. 30, 2; Dareus tali hostis continentia victus legatos ad novas pacis condiciones ferendas misit epistula tali scripta, qualem habet Diodorus XVII 54, 2 sq. Deinde secuta sunt, quae de Parmenione commemorant scriptores; Alexandri responsum a Callisthene sine dubio ita erat narratum, ut id perhibet Diodorus. ἅμα δὲ τούτοις πραττομένοις Darei uxor mortua et

ἐλπίζων εἰσεῖν σε εἰς διαλλαγὴν πρὸς ἐμέ, ἵνα παραγενόμενος εὐχαριστήσης ἡμῖν = Just. XI 12, 12; Curt. IV 11, 16.

1) Callisthenem de epistulis Alexandri et Darei tradidisse suspicatus est etiam Fraenkel l. l. p. 213 et 229, sed aliis de causis, quas equidem minime probare possum.

ab Alexandro μεγαλοπρεπῶς sepulta est. Fieri potest, ut Callisthenes etiam narraverit, Darei uxorem ἐν ὠδίσι mortuam esse, sed hoc pro certo non contenderim. Dixi Callisthenem mea quidem sententia primum rem ita narrasse; tria sunt, quae huius sententiae documenta esse possunt. Ac primum quidem id gravissimum adferri potest quod in hac relatione Dareus deis testibus invocatis Alexandrum quasi adoptat: „si de me iam transactum est . . . nemo, precor, alius quam Alexander Asiae rex sit.“ Plutarchus, de Alxi. s. virt. s. fort. or. II 6 p. 338¹⁾, ubi eadem exstat narratio, diserte dicit „τοῦτο εἰσποίησις ἦν Ἀλεξάνδρου διὰ θεῶν μαρτύρων; haec fortasse ex ipso Callisthene manaverunt. Notum est Callisthenem ab Alexandro „ad prodenda memoriae acta eius accitum“ esse (Just. XII 6, 17) regemque in historiis suis insulse atque nimium extulisse et celebrasse: ut Alexandrum usque ad deos efferre non vereretur³⁾ atque oraculum a Jove Hammone editum uberrime referret⁴⁾. Itaque Callisthenem huius relationis esse auctorem maxime est verisimile. Deinde Callistheni favet iniquum de Parmenione iudicium, quod sine dubio in narratiuncula illa de Parmenione inest, quae sine dubio narrata est, ut humilis eius animus, invidia aemulatioque ostendantur; cf. Kaerst., l. l. p. 11 n. 1 et p. 78 sq. Tertium denique argumentum ex ipsa relatione sumere possumus: ea enim mollis

1) Callisthenis memoria auctorem Plutarchi diligentissime usum esse vel ex eo perspicuum est, quod ille penitus res Persarum divinas novisse videtur: exempli gratia adfero: ἢ τὸ σὺν ὄρνι φῶς, ὁ πάλιν ἀναλάμψει λαμπρὸν ὁ κύριος Ὠρομάσσης.

2) De orationis de Alxi virt. alterius fide dubitaverunt Schaefer l. l. p. 441 et L. Weber, De Plutarcho Alexandri laudatore, Genethliacon Gottingense, Halle 1888 p. 84 sq., defendit vero eam R. Volkmann, Fl. Jhb. CI (1870) p. 816 sq. Quare cum adhuc sub iudice lis sit, quod recte dixit Treu, Burs. Jhb. 1890 (62) p. 15, etiam nunc hoc loco uti licet. Idem ex Carystio Pergameno adfert Athen. XIII p. 603^c.

3) Pol. XII 23; Philodemus, voll. Herc. Pap. 1675 (Th. Gomperz, Anaxarch u. Kallisthenes, comm. in hon. Mommseni, Berlin 1877 p. 480).

4) Strabo XVII p. 813 coll. frg. 36 (Müller). Cf. eius de se dicta apud Arr. IV 10, 1 sq.

st et ad misericordiam movens, quam nos „sentimental“ dicimus. Coniuges liberosque in relationem inducere Phylarchi quasi proprium est, qui saepissime hac re usus est; sed etiam Callisthenem iam ante eum talibus artibus usum esse, ut legentium animos moveret, ex nonnullis exemplis constat, velut Plut. Pelop. 9. Sed de Callisthene hactenus. Secundum memoriae gradum habemus apud Plutarchum Alx. 30 et Mor. p. 338^{et}. Inter primam et secundam memoriam interest, quod eunuchus ad Dareum confugit post Darei uxoris mortem; Plutarchus quoque narrat eam ἐν ὠδῶσι mortuam esse. Sine dubio ordo rerum commutatus est, ut legentium animi magis commoverentur; fieri etiam potest, ut hoc ipsum ἐν ὠδῶσι commutationis causa fuerit. Si porro quaerimus, cuinam auctori secundam relationem adscribere possimus, proximum est de Clitarcho cogitare; ex fragmentis enim eius videmus, quanto pere scriptor ille placere lectoribus studuerit et nonnumquam historici munere abusus sit, ut legentium inserviret voluptati; vel tragicam quandam sensibus commotionem incuteret; (cf. etiam Kaerstii de eo iudicium l. l. p. 82). Tertiam denique relationem habemus apud Curtium et Justinum, quos communem secutos esse auctorem primo aspectu apparet; cf. p. 49. Auctor ille primam secundamque relationem in unam confudit: ex secunda enim sumpsit, eunuchum post Darei uxoris mortem ad Dareum confugisse, ex prima alia omnia; non neglegendum est etiam auctorem illum narrasse, Darei uxorem ex collisione abiecti partus mortuam esse, quod ex Justino perspicuum est. Sed non intellexit auctor ille, se hac confusione maximas ineptias in relationem suam intulisse: ex Justino et Curtio colligere possumus, auctorem eorum narrasse Darei uxorem non multo ante pugnam apud Gaugamela (30. Sept. vel 1. Oct. 331) commissam mortuam esse; capta autem est Darei uxor post pugnam apud Issum factam (nov. 333. Arr. II 11, 14); atque nihilominus ex collisione abiecti partus eam mortuam esse tradit Justinus! Ineptiae illae inde ortae sunt, quod auctor relationem Arrianeam et Diodoream de Darei legationibus et varias de eunuchio memorias confundere voluit: ex Arriano constabat, Alexandrum priorem

legationem Marathi, alteram Tyri excepisse; nihil igitur relinquatur, nisi tertiae legationi locum ante ipsam ad Gaugamela pugnam assignare. Sed ante pugnam ad Gaugamela prorsus incredibile est Dareum tantam regni partem Alexandro obtulisse, cum valido exercitui praecesset, quo se Alexandrum victurum sperabat. Ineptias illas in relatione de Darei uxoris morte Curtius animadvertit ideoque causam mortis immutavit, cum traderet „itineris continui labore animique aegritudine fatigatam eam extinctam“ esse; sed tales emendationes nihili aestimandae sunt. At hic dixerit quispiam Curtium ut alia multa sic etiam hanc causam ex Aristobulo vel Callisthene sumpsisse; sed hoc prorsus incertum est. Communis ille auctor, quem Curtius et Justinus secuti sunt, utrum Timagenes fuerit, an Trogus non persequor, cum re vera nihil intersit; nam Trogum historias suas ex Timagene hausisse demonstravit Gutschmid, Rh. Mus. 1882 (XXXVII) p. 553 sq.; cf. etiam C. Wachsmuth, Timagenes u. Trogus, Rh. Mus. 1891 (XLVI) p. 465 sq.

Restat, ut de reliquis fontibus pauca dicam. Plutarchum de eunuchio memoriam mea quidem sententia ex Clitarcho sumpsisse iam supra dixi. In epistula enarranda Plut. Alx. 29¹⁾ prorsus congruit cum Arriano II 25, 1 sq.; Hansen p. 278 recte dixit „es ist klar, dass es Plutarch hier mehr darauf ankommt, die Antwort des Alexander an Parmenio mitzutheilen, als den Inhalt des Briefes, der nur den Rahmen zur Darstellung giebt. Es ist also offenbar die Notiz über den Brief zugleich mit der Scene mit Parmenion aus derselben Quelle entnommen“. . . Fraenkel l. l. p. 27 Plutarchum et Arrianum Aristobulo usos esse auctore coniecit, cum iisdem fere verbis uterque uteretur. Sane; sed etiam a Diodoro epistula prorsus eodem modo commemoratur, ita ut etiam ex alio quodam auctore Plutarchum memoriam suam hausisse cogitari possit. Equidem quin haec quoque Plutarchus ex Clitarcho sumpserit nullus dubito, cum c. 30 optime cum c. 29 cohaereat.

1) Quod Droysen l. l. I 1 p. 269 n. 1 non vidit, Plutarchum non de priore, sed de altera legatione loqui, valde mirum est.

Valerius Maximus Dareum partem regni Tauro tenus et filiam in matrimonium cum decies centum milibus talentum pollicitum esse narrat. Numerus ille manifesto est corruptus ex decem milibus; quod autem Taurum montem Valerius pro Euphrate flumine posuit insita eius levitate factum est.

Zonaras ex Plutarcho habet memoriam suam; eum autem, qui itinerarium Alexandri scripserit, Arriano usum esse auctore Kluge et Zacher demonstraverunt¹⁾.

Neumann l. l. p. 546 unam omnino fuisse legationem, alteram vero a deterioribus scriptoribus esse fictam contendit, et quidem ortam esse eam ex Thersippi²⁾ missione; „man wird geglaubt haben, zugleich mit der Rückkehr des Thersippus seien neue persische Gesandte zu dem siegreichen König gegangen“. Arr. II 25, 1—3 compositum esse ex prima et altera legatione Clitarchea. Quam Neumannii sententiam permiram esse quis est quin videat. Ille praeterea dicit Dareum tales condiciones tulisse prorsus esse incredibile „Dareios hätte wahnsinnig sein müssen, um dem Alexander bereits das ganze Land bis zum Euphrat anzubieten, als derselbe erst Kleinasien und Nordsyrien erobert hatte“. At, cum condiciones illae ab omnibus scriptoribus tradantur, non est cur memoriae illi fidem abrogemus. Dareus condiciones illas tulit, non quod iniquitate rerum cogere vel se victum crederet, sed ut matrem, coniugem liberosque captivitatis periculis liberaret. Dareus dominus et tyrannus erat, cuius libido pro lege habebatur, seroque imperium adeptus est: sors cognatorum misera ei satis causae videbatur, cur regni partem Alexandro concederet; Alexander re vera regionis illius iam potitus erat atque quod quis desiit possidere libenter aliis concedit; cf. etiam, quae dicit J. Kaerst, l. l. p. 7 sq. et n.

Quoniam de fontibus uberius disserui, iam de epistulis ipsis pauca dicam. Ac primum quidem de epistulis Darei et

1) C. Kluge, De itinerario Alexandri Magni, Breslau 1861. Zacher l. l. p. 48 sq.

2) Droysen, Hell. II 2 p. 374 sq. rectissime vidit, Thersippum illum ab Alexandro missum eundem esse atque eum qui CIG. II 2166^c commemoratur.

Alexandri a quod Arrianum II 14 verba faciam. Jam vero Arrianum epistolam non ipsum perscripsisse, immo ita in auctore suo invenisse scriptam, ex ipsis epistolae verbis dilucide demonstrari potest. II 14, 7 enim Alexander Dareo de transfugis scribit: „ὄσοι τῶν μετὰ σοῦ παραταξαμένων μὴ ἐν τῇ μάχῃ ἀπέθανον, ἀλλὰ παρ' ἐμὲ κατέφυγον, τούτων ἐπιμέλομαι καὶ οὐκ ἄκοντες παρ' ἐμοῖ εἰσιν, ἀλλὰ αὐτοὶ ἐκόντες ξυστρατεύονται μετ' ἐμοῦ“, in epistula autem Darei et in tota relatione antecedenti transfugarum nulla omnino fit mentio; unde efficitur Arrianum epistolam ita apud auctorem suum invenisse, quod praeterea etiam epistolae forma docet. Qui auctor quin Aristobulus fuerit non dubito¹⁾; de epistularum collectione cogitari non potest, cum nulla eius apud Arrianum exstent vestigia. Sed alia oritur quaestio difficillima, utrum epistula ab Alexandro ita perscripta fuerit, necne. Equidem epistolam veram esse puto compluribus de causis. Primum Alexander initio epistolae de Macedonia quasi de Graeciae parte loquitur εἰς Μακεδονίαν καὶ εἰς τὴν ἄλλην Ἑλλάδα, quod prorsus ex Macedonum regum sententia est dictum²⁾. Deinde in querelis sequentibus praeter opem Perinthiis latam, quam Diod. XVI 75 etiam commemorat, multa insunt nova, quae aliunde nescimus: sic Alexander Dareo exprobrat, Persas Philippo percussores subornasse atque de hac re epistulis quoqueversum

1) U. Koehler, Sitzber. d. Berl. Acad. 1892 p. 505 n. 1 (über d. Verhältniss Alexanders des Grossen zu seinem Vater Philipp) de Ptolemaeo cogitavit, sed dubito num recte; rectissime autem de epistulis haec adnotavit: „wäre das Schreiben von Arrian verfasst, so würde man auch einen vollständigen Text des persischen Schreibens bei ihm lesen . . . Das Schreiben des Darius war von ihm (sc. Ptolem.) nicht im Wortlaut mitgeteilt worden, weil dasselbe in einer asiatischen, wahrscheinlich in aramäischer, Sprache abgefasst war.“

2) Adler p. 10 perperam dixit, Alexandrum scripsisse ut regem, qui de Graecis quasi de victis loqueretur populis, non ut Graecorum ducem. Eo tempore, quo haec epistula scripta est, Alexander se etiam pro duce Graecorum gerebat neque ex epistolae verbis Adleri sententia ullo modo probari potest. Cf. etiam Nissen. Rh. Mus. XLVII p. 172 sq.

missis gloriatos esse (ὡς αὐτοὶ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς¹⁾ πρὸς ἅπαντας ἐκομπάσατε). Epistula Alexandri porro penitus novit Darei epistulas ad Graecos post Philippi mortem missas atque docet nos Lacedaemonios solos pecuniam a Dareo missam accepisse²⁾. Denique Droysen l. l. optime animadvertit, epistulae fidei valde favere, quod Alexander pro Artaxerxe Ochum nomen posuit (cf. Diod. XV 93, 1: τὴν δὲ βασιλείαν διεδέξατο Ὀχος ὁ μετονομασθεὶς Ἀρταξέρξης). Ne multa, epistula tam penitus novit omnes res, ut facere non possim, quin eam ita ab Alexandro perscriptam esse sumam, nisi forte ab Aristobulo secundum veram Alexandri epistulam composita est, quod non puto³⁾.

Droysen etiam Darei epistulam propter Artaxerxis nomen in ea usurpatum et propter singulas res, quas Dareus Alexandro de pace violata exprobrat, recte secundum veram ab Arriano esse relatam dixit. Quod autem epistulam Alexandri servatam esse putat, quia non solum ad Dareum scripta, sed etiam edictum ad Asiae populos Graecosque esset (l. l. p. 271 et n. 1), hoc minus recte mihi dixisse videtur: Aristobulus utramque epistulam optime ex tabulario Macedonico vel Persico sumere potuit; nam etiam tabularium Persicum post Dareum devictum in Alexandri manus venisse ex Arriano III 11, 3 scimus.

De altera et Darei et Alexandri epistula apud Arr. II 25, 1—3 nihil habeo, quod addam; quin Dareus re vera tales condiciones obtulerit, Alexander vero tale responsum de-

1) Droysen I 2 p. 403: „also in „offenen Briefen“ oder Manifesten“. De hac re cf. optimam Koehleri disputationem: Sitzber. d. Berl. Acad. 1892 p. 505 sq.

2) Cf. Plut., de Alxi. s. virt. s. fort. or. I 3 p. 327^d: τὸ δὲ Περσικὸν χρυσίον διὰ τῶν ἐκασταχοῦ δημαγωγῶν ῥέον, ἐκίνει τὴν Πελοπόννησον.

3) Hansen p. 279 dicit: „auch der Hiatus ist, was beiläufig bemerkt sei, nicht vermieden“, sed quidnam hac ex re efficere velit, omnino non intellego.

derit me minime dubitare iam supra dixi¹⁾. Reliqui scriptores non veris epistulis usi sunt, immo memoriam suam ex auctoribus suis habent, quibus verae epistulae praesto non erant; Curtius praeterea epistulas ipse composuit rhetoriceque exornavit: utrum ea, quae in prima Darei epistula ab Arriano discrepent, ipse finxerit, an ex auctore quodam sumpserit, prorsus obscurum est.

3. Epistulae Alexandri ad duces.

a) ad Antipatrum.

(21) 1. Plut. Alx. XX, 3 φυγὴν ἐποίησε (sc. Alexander) τῶν καθ' αὐτὸν βαρβάρων ἐν πρώτοις ἀγωνιζόμενος, ὥστε τρωθῆναι ξίφει τὸν μηρὸν, ὡς μὲν Χάρης φησὶν, ὑπὸ Δαρείου (συμπεσεῖν γὰρ αὐτοὺς εἰς χεῖρας) Ἀλέξανδρος δὲ περὶ τῆς μάχης ἐπιστέλλων τοῖς περὶ τὸν Ἀντίπατρον οὐκ εἶρηκεν ὅστις ἦν ὁ τρώσας, ὅτι δὲ τρωθῆναι τὸν μηρὸν ἐγχειριδίῳ, δυσχερὲς δ' οὐδὲν ἀπὸ τοῦ τραύματος συμβαίη, γέγραφε. Cf. Plut. de Alxi. virt. or. II 9 p. 341^c. Alexandri vulnerationem commemorant etiam Arr. II 12, 1; Diod. XVII 34, 5; Curt. III 11, 10; 12, 2; Plut. de Alxi virt. or. I 2 p. 327^b; Just. XI 9, 9²⁾.

Quae Plutarchus ex Alexandri epistula adfert optime congruunt cum Arriano. Diodorus et Curtius uberrime de impetu in Dareum comitesque eius facto verba faciunt, de quo Arrianus prorsus tacet; secundum Arriani memoriam Da-

1) Supervacaneum mihi videtur monere, nihil interesse, utrum de legatis, an de epistulis apud scriptores verba fiant. Falso Adler p. 9 sq. nimium Arriani ξίφη — ἤκουσε tribuit atque ad haec verba ceterorum scriptorum memoriam exigit; ceterum quaestionem de epistulis Alexandri et Darei parum diligenter tractavit.

2) Singularis est Justini memoria: in ea uterque rex vulneratur. Non alienum videtur commemorare Curtium de mucrone loqui, qui ἐγχειριδίῳ in epistula respondet, cum Arrianus et Plutarchus ξίφει Alexandrum vulneratum esse tradant; sed haec ut Curtius vel auctor eius ex Callisthene sumpserint optime fieri potest.

reus et Alexander omnino cominus pugnam conseruisse non possunt: Dareus enim, ut Arrianus II 11, 4 tradit ὡς αὐτῷ τὸ πρῶτον ὑπ' Ἀλεξάνδρου ἐφοβήθη τὸ κέρασ τὸ εὐώνυμον καὶ ταύτη ἀποβήγνυμενον κατείδε τοῦ ἄλλου στρατοπέδου εὐθὺς ὡς εἶχεν ἐπὶ τοῦ ἄρματος σὺν τοῖς πρώτοις ἔφευγε. Sed memoriam illam esse veterem et ex Charetis testimonio et ex Callisthenis fragmento apud Polyb. XII 22 colligi potest. Equidem quin Diodori et Curtii memoria a Callisthene repetenda sit non dubito, quod recte contendit Laudien; sane Curtius ex Aristobulo multa addidit. Petersdorffii l. l. p. 9 rationes non satis probabiles sunt, ut huic sententiae repugnare possint. De epistulae γνησιότητι Grote XI p. 446 n. 1, Droysen I 2 p. 404, Hansen p. 262 recte censent minime dubitandum esse; Plutarchum epistulam ex collectione sumpsisse ipsa verba eius docent.

(22) 2. Plut. Alx. XXXIX 5: πρὸς δ' Ἀντίπατρον ἔγραψε κελεύων ἔχειν φύλακας τοῦ σώματος ὡς ἐπιβουλευόμενον.

Antipater ab Alexandro domi relictus, ut Macedoniam Graeciamque administraret, munere suo optime ille quidem, sed severissime fungebatur, quod ei multas bonas gratias attulisse non nimis verisimile est¹⁾. Accedit quod Antipatro magna cum Olympiade, Alexandri matre, erat controversia variisque criminationibus ab ea vexabatur²⁾; (verisimile est famam veneficii ab Olympiade esse divulgatam). Quare satis causae erat, cur Alexander Antipatro talem epistulam scriberet. Arrianus suspicatur Antipatrum ab Alexandro ex Macedonia advocatum esse ὡς μή τι ἐκ τῆς διαφορᾶς αὐτοῖς γένοιτο ἄχαρι ἐς ἀλλήλους (i. e. Ant. et Olymp.) καὶ οὐδὲ αὐτῷ ἰάσιμον; sed Alexander tum iam diffidere coepisse Antipatro vi-

1) Plut. Alx. 74 narrat ad Alexandrum venisse, qui Antipatrum accusarent de iniuria, qua essent adfecti (τοὺς κατηγοροῦντας Ἀντιπάτρου); cf. etiam Just. XVI 1, 14: Antipatrum . . . amariorem semper ministrum regni, quam ipsos reges fuisse. Cf. Just. XII 14, 4.

2) De hac re postea uberius erit dicendum, cum de Antipatri Olympiadisque epistulis agam.

detur¹⁾. Quando epistulam scripserit Alexander prorsus incertum est; certe cum nondum ei cum Antipatro similtas intercedebat. Sane quod Alexander contemptim de Antipatro in Europa victoria quasi de μωμαχία²⁾ locutus est, anno 330, ex eo non efficitur Alexandrum iam tum cum Antipatro discedisse: quo enim longius progrediebatur, eo magis alienabatur a rebus Macedonicis eoque insolentius se efferebat³⁾. Quin Alexander re vera talem epistulam Antipatro scripserit non est cur dubitemus: cf. etiam Droysen I 2 p. 268 n. 1 et Hansen p. 272; sed Plutarchus non ex epistularum collectione eam attulit, immo de hac epistula valet, quod p. 12 sq. dixi: ex Duride enim eum memoriam suam habere puto; cuius sententiae hoc documento esse potest: c. 39 Plutarchus inter alias narratiunculas scribit: καὶ Φωκίωνι μὲν ἔγραψεν ἐπιστολήν ὡς οὐ χρησόμενος αὐτῷ φίλῳ τὸ λοιπόν, εἰ διωθόιτο τὰς χάριτας: eadem autem exstant Plut. Phoc. 18; Duridem⁴⁾ plura de Phocione narresse ex ipso Plutarchi Phoc. 17 testimonio scimus, Duridem vero Charete usum esse auctore ex eodem Plutarchi loco Phoc. 17 perspicuum est, quod multum epistulae fidei favet.

(23) 3. Plut. Alx. XLVI: καὶ μαρτυρεῖν αὐτοῖς ἔοικεν Ἀλέξανδρος. Ἀντιπάτρω γὰρ ἅπαντα γράφων ἀκριβῶς τὸν μὲν Σκύθην αὐτῷ φησι διδόναι τὴν θυγατέρα πρὸς γάμον, Ἀμαζόνος δ' οὐ μνημονεύει.

Plutarchus c. 46 de Amazonibus disputat atque quattuordecim adfert auctores, quos ipsum collegisse per se

1) Cf. de re Grote XI p. 394; Schaefer, Dem. III p. 198 sq.; Droysen I 2 p. 266 sq.; R. Schneider, Olympias p. 14 sq.: sane causa quam adfert Schneider satis est lepida: „daher suchte er den Antipater dadurch zu begütigen und zugleich auszuzeichnen (sic!), dass er ihm gestattete sich mit einer Leibwache zu umgeben, um vor Nachstellungen sicher zu sein“.

2) Plut. Ages. 15; rei novitatis causa adfero Thirlwallium VI p. 258 μωμαχία vertisse „battle of flies“! Qui lapsus viri doctissimi est notabilis.

3) Gutschmid, Gesch. Jr. p. 13.

4) Klotz, l. l. p. 46.

non nimis verisimile est et praeterea eo redarguitur, quod Strabo XI 5, 4 (p. 505 C) simillime de hac re egit. Schoene et Schaefer Plutarchum ex magno opere collectaneo hoc sumpsisse dicunt, de quo quid sentirem iam supra p. 42 n. 1 dixi. Mea quidem sententia Kaerst, Beiträge zur Quellenkritik d. Q. Curtius Rufus, Gotha 1878 p. 33 sq.¹⁾ et Vogel l. l. p. 12 recte suspicati sunt auctorum enumerationem ab Eratosthene repetendam esse, certe fons, ex quo et Plutarchus et Strabo memoriam suam hauserunt, est optimus. Quod Strabo dicit οὐδ' οἱ εἰπόντες τὰ αὐτὰ εἰρήκασι hodie quoque ex scriptoribus intellegere possumus cf. Arr. VII 13, 2, Curt. VI 5, 24 sq., Just. XII 3, 5 sq., Diod. XVII 77, Marcianus Capella IX 925. Plutarchus ipse ex epistularum collectione sua vidit Alexandri epistulam ad Antipatrum prorsus congruere cum illis auctoribus, qui πλάσμα φασὶ γεγονέναι τοῦτο i. e. cum optimis auctoribus, Ptolemaeo, Aristobulo, Charete, aliis. Quod porro in epistula narratur, Seytharum regem filiam suam Alexandro in matrimonium obtulisse, etiam ab Arriano IV 15, 2 sq. ex optimis auctoribus traditur. Itaque videmus nullam esse causam, cur de huius epistulae fide dubitemus, cum prorsus cum optimis scriptoribus congruat. Cf. Hansen p. 264 sq.

(21) 4. Plut. Alx. XLVII 1 sq. Φοβούμενος δὲ τοὺς Μακεδόνας, μὴ εἰς τὰ ὑπόλοιπα τῆς στρατείας ἀπαγορεύσωσι, τὸ μὲν ἄλλο πλήθος εἶασε κατὰ χώραν, τοὺς δ' ἀρίστους ἔχων ἐν Ἰρκανίᾳ μεθ' ἑαυτοῦ, δισμυρίους πεζοὺς καὶ τρισχιλίους ἵππεῖς, προσέβαλε λόγον, ὡς νῦν μὲν αὐτοὺς ἐνύπνιον τῶν βαρβάρων ὁρώντων, ἂν δὲ μόνον ταραξάντες τὴν Ἀσίαν ἀπίωσιν, ἐπιθησομένων εὐθύς ὥσπερ γυναιξίν. Οὐ μὴν ἄλλ' ἀπιέναι

1) Kaerstii dissertatio mihi praesto non erat; locum sumpsit ex Fraenkelio, l. l. p. 63. Utrum Plutarchus Eratosthene per Agatharchidem usus sit, necne, nihil attinet: non recte Fraenkel de hac sententia mihi dubitasse videtur. Ex Plutarchi verbis, quae ex Alexandri epistula adfert Ἀντιπάτρῳ — μνημονεύει, minime efficitur, scriptorem nescio quem narraſſe, amazones apud Orontem flumen ad Alexandrum venisse; etiam reliqua Fraenkelii argumenta admodum sunt debilia.

γε τοὺς βουλομένους ἐφῆκε, μαρτυράμενος ὅτι τὴν οἰκουμένην τοῖς Μακεδόσι κτώμενος ἐγκαταλέλειπται μετὰ τῶν φίλων καὶ τῶν ἐθελόντων στρατεύειν. Ταῦτα σχεδὸν αὐτοῖς ὀνόμασιν ἐν τῇ πρὸς Ἀντιπάτρῳ ἐπιστολῇ γέγραπται καὶ ὅτι ταῦτα εἰπόντος αὐτοῦ πάντες ἐξέκραγον ὅποι βούλεται τῆς οἰκουμένης ἄγειν. Cf. Diod. XVII 74, 3¹⁾, Curt. VI 2, 15 sq., Just. XII 3, 2 sq.

Et Diodorus et Curtius et Justinus tradunt milites Dareo mortuo ipsis quoque finem militiae adesse credidisse; Alexandrum vero oratione habita eos denuo ad officium reduxisse. Cf. Diod. l. l.: Ἀλέξανδρος δ' ὄρων τοὺς Μακεδόνας τέλος τῆς στρατείας τὴν Δαρείου τελευτὴν τάττοντας καὶ μετεώρους ὄντας πρὸς τὴν εἰς τὴν πατρίδα ἐπάνοδον τοῦτους μὲν ἀθροίσας εἰς ἐκκλησίαν καὶ λόγοις οἰκείοις παρορμήσας εὐπειθεῖς πρὸς τὴν ὑπολειπομένην στρατείαν ἐσκεύασε. Diodorus et Curtius cum hac de tumultu narratione coniungunt Graecorum militum dimissionem, quam ipsam tumultus causam fuisse Curtius addit. Arrianus quoque III 19, 5 sq. tradit, Graecos milites domum redire iussos esse, ὅστις δὲ ἰδίᾳ βούλοιο εἶμι μισθοφορεῖν παρ' αὐτῷ ἀπογράφεσθαι ἐκέλευσε· καὶ ἐγένοντο οἱ ἀπογραφάμενοι οὐκ ὀλίγοι. Mea quidem sententia non est cur huic memoriae a Diodoro, Curtio, Justino, Plutarcho relatae fidem abrogemus; a memoria Macedonica, quam apud Arrianum habemus, sane omissa est, quia minus apta videbatur relatio illa quae referretur. Rem ita fuisse puto: Dareo mortuo vere anni 330 Alexander Graecorum auxilia domum dimisit; qua re audita etiam Macedones finem sibi militiae adesse crediderunt, Alexander autem oratione tali habita, qualem paucis ex epistula refert Plutarchus, militibus tantum denuo ardorem iniecit, ut quocumque vellet ducere iuberent. Quare neque memoria neque epistula, quam adfert Plutarchus, mihi suspectae videntur esse. Alia est sententia

1) Miror Hansenium p. 265 non vidisse Diodorum XVII 74 de eadem re locutum esse; dicit enim: „Diod. XVII 78 übergeht diese Geschichte“. Justinus XII 3, 2 sq. brevior est, quam ut ex eo aliquid proficere possimus, ceterum prorsus facit cum Curtio.

Droysenii¹⁾ et Kaerstii²⁾. Kaerst de tumultu minime dubitat (cf. Kaerst l. l. p. 12 et n. 4), sed epistulam fictam et ex duabus quidem memoriis confusam esse dicit: dictum enim Alexandri se a Macedonibus destitutum esse, ab Arriano V 28, 2 et a Curtio IX 2, 33 sq. relatum esse, cum Alexander apud Hyphasin flumen Macedones adhortaretur, ut porro sequerentur; quod autem scriberet, milites summa alacritate eum iussisse quocumque vellet ducere, Curtium VI 4, 1 de tumultu in Hyrcania orto narraſſe. Quam Kaerstii sententiam equidem falsam esse puto. Dictum illud Alexandri ab Arriano et a Curtio de tumultu ad Hyphasin narratum sane idem fere est³⁾, sed quidni Alexander bis similem sententiam dicere potuerit? Kaerst dicit: „die Worte namentlich im Begriff den Macedoniern die Welt zu gewinnen' waren wohl weniger geeignet, auf das macedonische Heer zu wirken bei jener früheren Gelegenheit in Hyrcanien, wo es wahrscheinlich auf die Nothwendigkeit einer völligen Ausnutzung des Sieges über die Perser, einer gänzlichen Unter-

1) Droysen I 2 p. 5 n. 1: „dieser Brief (sicht) nicht minder nach rhetorischer Erfindung aus, als die Erzählung des Vorgangs bei Curtius“. Droysen addit: „desselben Ursprungs ist die Geschichte mit der Amazonenkönigin Thalestris, die von den genannten Schriftstellern (i. e. Plut., Diod., Curt.) in diesem Zusammenhang erzählt wird“. Sed mirum esset epistulam Alexandri de Amazonibus tacuisse, de hac autem memoria rettulisse. Quod epistula de Amazonibus nihil habebat mea quidem sententia multum fidei eius favet.

2) Kaerst, l. l. p. 108 sq.

3) Quamquam insunt etiam differentiae, id quod comparatio docet:

Plut.
οὐ μὴν ἀλλ' ἀπιέναι γε τοὺς βουλευ-
μένους ἐφῆκε, μαρτυράμενος ὅτι τὴν
οἰκουμένην τοῖς Μακεδόσι κτώμενος
ἐγκαταλείπεται μετὰ τῶν φίλων καὶ
τῶν ἐθελόντων στρατεύειν.

Arr.
αὐτὸς μὲν ἵέναι ἔφη τοῦ πρόσω, βιά-
σασθαι δὲ οὐδένα ἄκοντα Μακεδόνων
ξυνέπεισθαι. ἔξειν γὰρ τοὺς ἀκολου-
θήσοντας τῷ βασιλεῖ σφῶν ἐκόντας
τοῖς δὲ καὶ ἀπιέναι οἶκαδε ἐθέλουσαν
ὑπάρχειν ἀπιέναι καὶ ἐξαγγέλλειν
τοῖς οἰκείοις, ὅτι τὸν βασιλέα σφῶν
ἐν μέσοις τοῖς πολεμίοις ἐπανήκουσαν
ἀπολιπόντες.

werfung der Perser hingewiesen wurde“. At Alexander apud Plutarchum pericula reditus indicat: dicit enim: ἂν δὲ μόνον ταραξάντες τὴν Ἀσίαν ἀπίωσιν, ἐπιθησομένων εὐθὺς ὡσπερ γυναίξιν; praeterea quidni verba τὴν οἰκουμένην κτώμενος apta fuerint? Equidem non video causam, cur haec epistula dubia habenda sit¹⁾. Hansen quamquam recte epistulam esse veram contendit, tamen in singulis rebus valde erravit. Ut omittam, eum non vidisse, Diodorum XVII 74 de eodem tumultu narraſſe, dicit p. 265 in epistula non agi de tumultu, immo „von einer Ermunterung der Elitetruppen . . . , die sich in neue Kämpfe stürzen sollten . . . Bei Curtius und Justin ist dagegen von einer wirklichen Meuterei die Rede.“ Curtium et Justinum hoc ex communi auctore suo, qui sine dubio Clitarchus fuerit, sumpsisse, quem tumultum illum finxisse secundum Plutarchi auctorem vel ipsam Alexandri epistulam; verisimilius autem esse Clitarchum ipsum Alexandri epistulam vidisse, cum verba „ἔποι βούλεται τῆς οἰκουμένης ἄγειν“ prorsus cum Curtii verbis „quocumque vellet duceret“ congruerent; sed epistulam secundum Clitarchi memoriam non esse fictam, cum de tumultu in ea non loqueretur. Quae Hansenii sententia prorsus falsa est: nam primum in epistula non de „Ermunterung der Elitetruppen“, sed de tumultu agi ex Diodoro, Curtio, Justino vidimus; deinde etiam apud Curtium et Justinum non de seditione (Meuterei), sed tantum de tumultu loquitur; denique communem Curtii et Justinii auctorem epistulam non inspexisse apertissimum est, nam praeter verba illa, quae Hansen attulit, nihil congruit, immo oratio Alexandri prorsus diversa est apud Curtium et Plutarchum: Curtius orationem ipse rhetorice exornavit, sed ex congruentia eius cum Justino discimus communem eorum auctorem simile quid tradidisse; sane Curtius ex Aristobuli, ni fallor, de altera ad Hyphasin flumen rebellionem relatione nonnulla addi-

1) Adler p. 24 falso Kaerstio assensus est; etiam Adler Diodori locum non novit atque in fine disputationis suae dicit „duci perito Besso capto adfore belli finem promittendum fuisse!“ Inapte mea quidem sententia.

dit¹⁾. Restat, ut moneam, Westermannum II p. 7 ex verbis ἐν τῇ πρὸς Ἀντίπατρον ἐπιστολῇ collegisse, unam omnino Plutarecho notam fuisse Alexandri epistulam ad Antipatrum; sed ipse in fine disputationis suae addit: „alia tamen fuerit, quam breviter significat Plut. Alx. 39“ etc. Hansen p. 262 iam rectissime dixit: „dieser (sc. eine Brief) müsste also . . . eine Beschreibung fast des ganzen Feldzugs enthalten haben . . . Eine solche Annahme widerspricht aber nicht nur den wirklichen Verhältnissen, sondern auch, wenn man Fälschung voraussetzt, der Sitte der Rhetoren, die ein so fruchtbares Feld gewiss mehr beackert hätten.“ Hansen difficultatem ita expedit, ut epistulam c. 47 eandem esse statuatur atque eam, quam Plutarchus c. 46 adfert. Quae sententia mihi satis placet, quamquam ne hac quidem explicatione opus est: verba enim illa nihil aliud sibi volunt nisi quod Plutarchus alibi dicit: γράφων vel γράφας πρὸς Ἀντίπατρον.

(25) 5. Plut. Alx. LV 3: ὕστερον δὲ γράφων πρὸς Ἀντίπατρον καὶ τὸν Καλλισθένην συνεπαιτιασάμενος „οἱ μὲν παῖδες, φησὶν, ὑπὸ τῶν Μακεδόνων κατελεύσθησαν, τὸν δὲ σοφιστὴν ἐγὼ κολάσω καὶ τοὺς ἐκπέμφσαντας αὐτὸν καὶ τοὺς ὑποδεχομένους ταῖς πόλεσι τοὺς ἐμοὶ ἐπιβουλεύοντας“, ἀντικρὺς ἔν γε τούτοις ἀποκαλυπτόμενος πρὸς Ἀριστοτέλην· καὶ γὰρ ἐτέθραπτο Καλλισθένης παρ' αὐτῆ δια τὴν συγγένειαν, ἐξ Ἡρώδους γεγονώς, ἀνεψιάς Ἀριστοτέλους.

Hoc loco etiam de alia epistula ad Craterum, Attalum, Alcetam data dicendum est, quia ad eandem rem pertinet: Plut. I. I. καίτοι τῶν περὶ Ἑρμόλαον οὐδὲ δια τῆς ἐσχάτης ἀνάγκης τοῦ Καλλισθένους κατεῖπεν. Ἀλλὰ καὶ Ἀλέξανδρος αὐτὸς εὐθύς Κρατέρῳ γράφων καὶ Ἀττάλῳ καὶ Ἀλκέτῃ φησὶ τοὺς παῖδας βασανιζομένους ὁμολογεῖν, ὡς αὐτοὶ ταῦτα πράξειαν, ἄλλος δ' οὐδὲς συνειδέη. Plutarchus c. 55 de Hermolai coniuratione et de Callisthenis damnatione loquitur et duas Alexandri epistulas adfert. Ac primum quidem

1) Sic initium orationis Curt. VI 3, 2 sq. mirum in modum congruit cum Arriano V 25, 4 sq. Quenam intercedat ratio inter alterius rebellionis fontes hoc loco non persequor.

dicam de epistula ad Craterum, Attalum, Alcetam data, quos non praesentes fuisse ex Arr. IV 22, 1 scimus, ita ut ex rerum memoria nulla adferri possit causa, cur epistulam fictam esse dicamus; praeter Droysenium I 2 p. 94 n. 1, Freemanium I. I. p. 168 n., Kaerstium I. I. p. 110 nemo, quod sciam, de epistulae fide dubitavit. Videamus iam, quibus de causis viri illi doctissimi epistulam fictam esse dixerint. Iam vero gravissima causa, quam viri illi attulerunt, est, Ptolemaeum et Aristobulum, ut Arrianus auctor est, tradidisse, ὅτι καὶ Καλλισθένην ἐπάραι σφᾶς ἔφασαν ἐς τὸ τόλμημα (i. e. οἱ παῖδες). Equidem non puto ex his verbis necessario colligendum esse, Ptolemaeum Aristobulumque tradidisse, pueros de Callisthene detulisse, eum conscium fuisse coniurationis (cf. Hansen p. 268); sed licet sit hoc verum, Kaerst ipse concedit Ptolemaei Aristobulique testimonia hac in re non omni suspicione carere; cf. etiam Grote, XII p. 21 n. 2¹⁾. Non dubito quin in his studium quoddam liberandi Alexandrum a crudelitatis crimine agnoscendum sit. Kaerst dicit: „ist es wohl glaublich, dass Aristobul und Ptolemaeus jene Behauptung in einer Sache, die soviel besprochen worden sein wird, aufgestellt hätten, wenn sie durch die ausdrückliche Aussage des Königs selbst widerlegt worden wären? Oder sollte ihnen die Thatsache des Briefes, der Inhalt desselben ganz unbekannt geblieben sein?“ Quidni? Similem differentiam invenimus inter epistulam de pugna cum Poro facta

1) Quam incerta fuerit fama de Callisthenis damnatione et morte etiam nunc videmus ex Arriano et Plutarecho; sic de morte eius Ptolemaeus et Aristobulus prorsus diversa tradiderunt: Καλλισθένην δὲ Ἀριστόβουλος μὲν λέγει δεδεμένον ἐν πέδαις ἑυπεριάγεσθαι τῇ στρατιᾷ ἔπειτα νόσῳ τελευτῆσαι, Πτολεμαῖος δὲ ὁ Λάχου στρεβλωθέντα καὶ κρεμασθέντα ἀποθανεῖν (Arr. IV 14, 3). Cum Aristobulo congruit Chares apud Plutarchum. Equidem Aristobuli Charetisque testimonia sine dubio vera esse puto; Ptolemaeo sine dubio sophistae illius sors parum cordi erat rei que oblitus est vel parum diligens erat in ea enarranda: iam Schoene p. 25 sq. et Schaefer p. 434 recte suspicati sunt Ptolemaeum brevissime de hac re disputasse. Qua de causa Grotio XII p. 46 n. 2 et Schoenio p. 5 assentiri non possum, qui Ptolemaei narrationem fide digniorem esse dicunt.

atque Ptolemaei relationem (Arr. V 14, 5), de qua postea suo loco erit dicendum; ibi quoque Ptolemaeus ad maiorem regis gloriam rem immutavit: utrum epistula ei nota fuerit necne probari non potest, sed etiamsi eam novit nihil obstat, quin res eum immutasse sumamus. Reliquae Kaerstii rationes nihili sunt, quin etiam altera eius ratio epistulae fidei favet. Kaerst enim dubitat, num omnino verisimile sit Alexandrum Cratero de coniuratione scripsisse „der nicht auf einem auf lange Zeit berechneten Commando abwesend war, sondern auf einer Unternehmung etc.“; hoc ipsum fidei favet: falsarius numquam in ea incidisset. Causa cur epistulam scripserit Alexander etiam in promptu est, quam recte vidit Hansen p. 267: facillime enim fieri potuit, ut auditiones falsae tumultuosaeque differrentur. Denique Thirlwall VI p. 325 n. 1 rectissime dicit: a document, the genuineness of which seems to be placed beyond doubt by its direction, which could hardly have occurred to a forger. Equidem persuadere mihi vix possum fuisse falsarium, qui tam inita subductaque ratione talem epistulam meditaretur, ut neque ex rerum memoria neque ex temporum ratione falsum demonstrari posset¹⁾. Itaque ex epistula discimus pueros in tormentis confessos esse se ipsos facinus molitos esse nullo alio conscio; Arrianus autem IV 3, 7 tradit σφῶν τε αὐτῶν κατεῖπον τὴν ἐπιβουλήν καὶ τινὰς καὶ ἄλλους ὀνόμασαν. Sed haec differentia nullius momenti est: res enim aut a Ptolemaeo Aristobuloque parum diligenter est narrata, aut Arrianus ipse memorias discrepantes exaequare voluit, quod mihi verisimilius videtur esse.

Sed de hac epistula hactenus; restat, ut de epistula ad Antipatrum dicamus. Hansen p. 267 inter utramque epistulam differentiam esse dicit, etsi non magnam; in epistula enim ad Craterum esse dictum neminem a pueris esse dela-

1) Hoc dixi contra Freemanium p. 168 n. 1: „surely this turns upon the skill of the forger and the means of knowledge at his command“. Recte etiam Oncken II p. 294 n. 2 dixit: „dieses Zeugniß ist von um so grösserem Gewicht, da es Alexander sehr unbequem war“.

tum, in epistula autem ad Antipatrum „wird er (Kall.) zwar nicht ausdrücklich angegeben, aber doch dem „Sophisten“ die Sache in die Schuhe geschoben“. Quam differentiam equidem omnino non intellego. In epistula illa ad Craterum nihil dictum est, nisi pueros confessos esse ὡς αὐτοὶ τάδε πράξειαν, ἄλλος δὲ οὐδεὶς συνειδείη; quid Alexander ipse senserit, utrum Callisthenem reum esse putaverit necne omnino non perspicuum est ex verbis illis; itaque de differentia loqui nullo modo possumus. Alexander Callisthenem suspectum habere potuit etiam neglecto puerorum testimonio atque rem ita se habuisse ex epistula ad Antipatrum discimus. Quae, ut Arrianus IV 14, 1 narrat, οἱ πολλοὶ tradiderunt maxime sunt verisimilia: διὰ μῖσος γὰρ τὸ ἤδη ἐν πρὸς Καλλισθένην ἐξ Ἀλεξάνδρου καὶ ὅτι ὁ Ἑρμόλαος ἐς τὰ μάλιστα ἐπιτήδειος ἦν τῷ Καλλισθένει οὐ χαλεπῶς πιστεῦσαι τὰ χεῖρω ὑπὲρ Καλλισθένους Ἀλέξανδρον: nimia libertate loquendi atque recusata adoratione (προσκύνησις) Callisthenes odium illud collegerat¹⁾. De epistulae ad Antipatrum fide dubitaverunt Thirlwall VI p. 317 n. 1, Droysen I 2 p. 404, Kaerst p. 114 propter capitis litem, quam Alexander Aristoteli intenderet. Videamus iam, num ratio, quam adferunt, probabilis sit. Kaerst solus sententiam suam rebus firmare studuit; reliqui satis habuerunt negare, talem epistulam re vera ad Antipatrum esse datam. Ac duas quidem Kaerst adfert res: primum Plutarchum praeter has minas nihil de periculo Aristotelis tradidisse; c. 8 sane eum dixisse Alexandrum Ἀριστοτέλην . . . ὕστερον ὑποπτότερον ἔσχεν, sed hoc fortasse Plutarchum ex epistula illa ad Antipatrum collegisse. Deinde quod Plut.

1) Just. XII 7, 3 et XV 3, 3 recusatam προσκύνησιν causam damnationis fuisse tradit: „cum . . . propter salutationis Persicae interpellatum morem insidiarum, quae sibi paratae fuerant, conscium fuisse iratus finxisset“. Quam unicam causam non fuisse apparet; iniuria Niebuhr II p. 493 Justinum secutus est. Recte de Callisthene iudicavit Th. Gomperz, l. l. com. in hon. Momms. p. 479. Cf. etiam Philodem. περὶ κακῶν etc. (vol. Herc. Pap. 1675) ἐν μὲν γὰρ ταῖς (ἐ)στορία(ις) ἀπεθέου τὸν Ἀ(λ)έ(ξ)αν(δ)ρον, ἀντέκο(ψε δ') αὐ(τ)οῦ ταῖς προσκύνησ(ε)ι . . .

c. 55 secundum Charetem tradiderit, Callisthenem in vinculis retentum esse, ut in concilio praesente Aristotele indicaretur, non congruere cum epistula; Charetem, si epistulam novisset, sine dubio etiam de periculo Aristotelis verba facturum fuisse. Kaerst epistulam fictam esse putat, cum Aristoteles Antipatrum in Alexandri veneficio adiuvisse dictus esset. Quas Kaerstii rationes equidem minime probare possum, immo cum Stahrio, Geiero, Grotio, Onckenio, Hanseno, Zellero¹⁾ epistulam veram esse puto. Quod ad primum Kaerstii argumentum attinet, equidem valde eum errasse puto; nam verba, quibus Plut. Alx. 8 utitur, ita sunt comparata, ut sine dubio memoriam suam ex historico quodam fonte sumpserit, atque de re mea quidem sententia non est dubitandum; Zeller recte dicit: „im ersten Augenblick wandte sich der Verdacht des gereizten Herrschers selbst gegen Aristoteles. . . . doch hatte dieses für ihn, ausser einer merklichen Erkaltung seiner Beziehungen zu Alexander, keine weiteren Folgen“²⁾. Deinde Charetis testimonium optime congruit cum epistula; cur Chares etiam necessario de periculo Aristotelis loqui debuerit equidem omnino non intellego: praeterea oblivisci non debemus nos non ipsum Charetis opus, sed perbreve eius memoriam habere. In epistula nihil inest, quod suspicionem moveat, qua de causa opus non est coniecturis, quando haec

1) A. Stahr, Aristotelia, Halle 1830 I p. 129 sq.; R. Geier, Alexander u. Aristoteles in ihren gegenseitigen Beziehungen, Halle 1856 p. 228 sq.; Oncken, II p. 294; E. Zeller, Die Philosophie d. Gr. II 2^o, Tübingen 1879 p. 35; Grote XII p. 45; Hansen p. 269.

2) Quod Dio Chrys. or. LXIV p. 598 M. 338 R. dicit Alexandrum id egisse, ut Aristotelem et Antipatrum necaret, nihil est nisi traiectio atque superlatio rhetorica. Sed talem rumorem fuisse videmus ex Curt. X 10, 15: „credebant etiam Craterum cum veterum militum manu ad interficiendum eum missum“. Cf. etiam Arr. VII 12, 5. Similem de Aristotele rumorem fuisse ex eo colligi potest, quod uterque Alexandri veneficio adfinis fuisse dicitur cf. Just. XII 14; Diod. XVII 117 et XIX 11; Plin. n. h. XXX s. f.; Sextus Empir. p. 658 (Bekker); Curt. X 10, 14; Euseb. ed. Schoene II p. 114 (graec.), etc.

epistula fuerit ficta¹⁾. Jam vero ad singula adeamus. Pueri lapidibus cooperti sunt ex more maiorum; Callisthenem Alexandro ab Aristotele commendatum esse ex Diog. Laert. V 1, 4, Suid. s. v. notum est, certe discipulus eius erat; cf. Arr. IV 10, 1, Plut. l. l. Quinam fuerint illi υποδεχόμενοι ταῖς πόλεσι τοὺς ἐπιβουλεύοντας Grote XII 46 et Kaerst p. 114 n. 4 recte viderunt, cum Alexandrum verbis illis Athenienses denotasse dixerunt²⁾. Cur ad eorum sententiam accedam etiam probare possum; Arrianus enim IV 10, 4 narrat, Philotam ex Callisthene quaesivisse, εἰ τῷ τύραννον κτείναντι ὑπάρχει παρ' οὐστυνας ἐθέλει τῶν Ἑλλήνων φυγόντα σώζεσθαι · καὶ ἀποκρίνασθαι αὐτῆς Καλλισθένην, εἰ καὶ μὴ παρ' ἄλλου, παρὰ γε Ἀθηναίους ὅτι φυγόντι ὑπάρχει σώζεσθαι κτλ. Verisimile est illud postea Alexandro innotuisse atque hac de causa eum verba illa ad Antipatrum scripsisse; accedit quod Aristoteles tunc Athenis degebat. Itaque demonstrasse mihi videor hanc quoque epistulam esse γνησίαν.

(26) 6. Plut. Alx. LVII 4. ὁ γὰρ ἐπὶ τῶν στραματοφυλάκων τεταγμένος ἀνὴρ Μακεδῶν ὄνομα Πρόξενος τῇ βασιλικῇ σκηπῆ ὀρύττων παρὰ τὸν Ὄξον ποταμὸν ἀνεκάλυψε πηγὴν ὕδατος λιπαροῦ καὶ πιμελώδους · ἀπαντλουμένου δὲ τοῦ πρώτου καθαρὸν ἀνέβλυζεν ἤδη καὶ διαυγὲς ἔλαιον, οὔτε ὁσμῆ δοκοῦν οὔτε γεύσει ἔλαιου διαφέρειν στιλβότητά τε καὶ λιπαρότητα παντάπασιν ἀπαράλλακτον, καὶ ταῦτα τῆς χώρας μηδὲ ἐλαίας φερούσης . . . οὐ μὴν ἀλλὰ θαυμαστῶς Ἀλέξανδρος

1) Sic etiam Adleri disputatio p. 25 sq. refutatione non eget. Duos vir ille doctus statuit auctores, quorum alter alteram epistulam conscripserit. Alteram Aristotelicos Alexandro supposuisse, qua rex ipse Callisthenem absolveret, ut Callisthenem criminis suspicione liberarent; alteram fictam esse, cum rumor ille, Alexandrum ab Antipatro Aristoteleque veneno interemptum esse, iam esset ortus. Adler falso Kaerstio assensus est.

2) Flath I p. 353 n. 1 dicit: „aus einem Schreiben des Königs an Antipater (Plut. Alx. 55) scheint hervorzugehen, dass er Verdacht geschöpft habe, sein Reichsverweser nähre den freien Sinn und die Unruhen“. Sed haec singularis Flathii sententia veri est dissimillima; quomodo enim Alexander verbis υποδεχόμενοι τ. π. τ. ε. ἐπ. Antipatrum denotare potuerit?

ήσθεις δηλός ἐστιν ἐξ ὧν γράφει πρὸς Ἀντίπατρον ἐν τοῖς μεγίστοις τοῦτο τῶν ἀπὸ τοῦ θεοῦ γεγονότων αὐτῷ τιθέμενος.

Alexandrum de hac re ad Antipatrum scripsisse non est quod dubitemus, certe epistula non ita multo post Alexandri mortem commemoratur: eandem enim epistulam commemorat Athenaeus II 42 f ex Theophrasto (frg. 159 W.), quod permultum epistulae fidei favet¹⁾. Quod ad rem attinet, Macedones olei fontem invenisse tradit etiam Strabo XI p. 518 C: τοῦ δὲ Ὠξου ποταμοῦ πλησίον ὀρύττοντας εὐρεῖν ἐλαίου πηγὴν λέγουσιν. εἰκὸς δὲ . . . λιπαρὰ εὐρίσκεσθαι, τὸ δὲ σπάνιον ποιεῖ τὴν παραδοξίαν. Arr. IV 16, 7 geminos fontes prosiluisse tradit, et aquae et olei; ex Arriano sua habet Eustath. ad Dionys. v. 747 (Müller, Geogr. Gr. min. II 347). Curtius nihil dicit nisi in tabernaculo regis fontem conspectum esse (VII 10, 14), aquae oleine non addit; itin. Alxi. 97 denique duos fuisse fontes tradit, et olei et vini (sic!). Thirlwallii VI 299 coniectura oleum illud naphta fuisse satis mihi verisimilis videtur esse. Falso Schaefer l. l. p. 445 verba οἱ δὲ μάντις etc. usque ad finem capitis etiam ex epistula a Plutarcho hausta esse putat; Hansen p. 270 recte ea ex eodem fonte atque antecedentem epistulae relationem fluxisse dixit.

(27) 7. Plut. Alx. LXXI 3. εἶτα μεμψάμενος μέτρια καὶ προσαγορεύσας φιλανθρώπως ἀπέλυσε τοὺς ἀχρήστους, δωρησάμενος μεγαλοπρεπῶς καὶ γράψας πρὸς Ἀντίπατρον, ὅπως ἐν πᾶσι τοῖς ἀγῶσι καὶ τοῖς θεάτροις προεδρίαν ἔχοντες ἐστεφανωμένοι καθέζονται. Cf. Zon. IV 14.

Agitur hoc loco de rebellione Opide in urbe ab Alexandro sedata. Quamquam in iis, quae Alexandrum ad Antipatrum scripsisse tradit Plutarchus, per se nihil inest, quod suspicionem moveat, tamen ex omnibus huius aetatis historicis ne unus quidem, quod sciam, Plutarchi de epistula relationem recepit, quin etiam ne verbo quidem commemorat. Causa, cur epistulam praetermiserint homines docti, sine dubio erat, quod

¹⁾ Adler p. 23 n. 1 Athenaei locum cum aliis coniungendum esse negat, sed qua de causa hoc statuerit vir doctus omnino non intellego.

Arrianus VII 12, 4 haec tradit: „Κρατέρῳ δὲ τούτους (sc. veteranos) τε ἄγειν ἐκέλευε καὶ ἀπαγαγόντι Μακεδονίας τε καὶ Θράκης καὶ Θετταλῶν ἐξηγεῖσθαι καὶ τῶν Ἑλλήνων τῆς ἐλευθερίας · Ἀντίπατρον δὲ διαδόχους τοῖς ἀποπεμπομένοις ἄγειν Μακεδόνας τῶν ἀκμαζόντων ἐκέλευσεν. Cf. Just. XII 12, 9. Iis enim Arriani et Justini testimoniis permotis sine dubio minime verisimile videbatur Alexandrum ad Antipatrum epistulam illam scripsisse, cum Antipater ex Macedonia avocaretur. Droysen I 2 p. 262 n. 2 Plutarchum ex Clitarcho memoriam suam habere coniecit. Equidem homines doctos falso tam male de Plutarchi relatione iudicasse puto; nam Plutarchus prorsus congruit cum Arriano VII 8, 1 sq. tantum quod brevissime rem narravit atque, cum relationem contraheret, nonnulla confudit. Quin etiam iisdem quibus Arrianus utitur verbis, velut:

Plut. Alx. 71. τοὺς ἀσθενεῖς καὶ πεπηρωμένους αὐτοῦ καταπέμ- ἢ πηρώσεως τοῦ σώματος ἀ-
ποντος ἐπὶ θάλασσαν χρείους ἐς τὰ πολέμια . . . ἀπο-
πέμπει

vel Plut.: τεταπεινωμένους = Arr. VII 1, 5 ταπεινῶς διακειμένους etc. Droysen l. l. dicit: „dass er sie zwei Tage und zwei Nächte habe jammern lassen, sagt Plut. Alx. 71, gewiss nach Clitarch, dem es nicht darauf ankommt, sich die Realität der Dinge klar zu machen.“ Equidem iniuria Droysenium hoc Clitarcho crimini dedisse puto, immo Plutarcho ipsi hanc confusionem attribuo. Etiam Arrianus uberius narrat duobus diebus Alexandrum meminisse admisisse, tertio vero die Persis agminum imperia mandasse, denique militum precibus motum iis reconciliatum esse. Plutarchus, qui res in angustum cogere voluit, tam male id fecit, ut ineptiae fierent; quod ipsum fecisse neque ex auctore suo sumpsisse vel ex eo perspicuum est, quod res, quas ceteri omnes scriptores, Diodorus, Curtius, Justinus, Arrianus¹⁾ narrant, omisit, velut notum illud, Alexan-

¹⁾ Diod. XVII 109; Curt. X 2, 8 sq.; Just. XII 11, 4 sq.; Arr. VII 8, 1 sq.

drum ipsum e tribunali in contionem desiluisse atque principes eorum qui multitudinem ad seditionem concitarent, comprehendi iussisse; item omisit Alexandrum Persas agminibus praefecisse, alia. Quod denique ad epistulam attinet mea quidem sententia de honoribus illis militibus constitutis non est dubitandum. Alexander apud Arr. VII 8, 1 promittit, se επιδώσειν δὲ ἀπιούσιν ὅσα αὐτοῦς τε ζηλωτοτέρους ποιήσει τοῖς οἴκοι καὶ τοὺς ἄλλους Μακεδόνας ἐξορμήσει ἐς τὸ ἐθέλειν τῶν αὐτῶν κινδύνων τε καὶ πόνων μετέχειν; hoc nihil fuisse nisi pecuniam vix est credendum. Videmus igitur per se nihil obstare, quin Plutarcho credamus, sed ex eo minime efficitur, Arrianum et Justinum errasse, cum Antipatrum de provincia sua ab Alexandro esse avocatum tradiderint; haec inter se minime repugnant. Quamdiu enim milites legerentur, quod satis longum tempus occupabat, Antipater sine dubio procurator Macedoniae mansisset atque ut procurator etiam veteranis prospicere debuit. Hoc recte vidit Hansen p. 272. Itaque quin Alexander talem ad Antipatrum epistulam scripserit non est dubitandum; sumpsit eam Plutarchus non ex collectione, sed ex historico quodam.

(28) 8. Diod. XVIII 8, 4: γεγράφαμεν δὲ Ἀντιπάτρω περὶ τούτων, ὅπως τὰς μὴ βουλομένας τῶν πόλεων κατὰγειν ἀναγκάσει.

Commemoratur haec epistula in Alexandri edicto de exsilibus revocandis. De re cf. supra p. 36 sq.

(29) 9. Diog. Laert. VI 2, 44: Ἀλεξάνδρου ποτὲ πέμψαντος ἐπιστολὴν πρὸς Ἀντίπατρον εἰς Ἀθήνας διὰ τινος Ἀθλίου παρῶν ἔφη· ἄθλιος παρ' ἄθλιου δι' ἄθλιου πρὸς ἄθλιον.

Commemoratur haec epistula in narratiuncula de Diogene Cynico. Idem dictum exstat apud Eustathium, in II. I 124 p. 740, 56 sq.: ὁ Ἀθλίας, τὸ κύριον, εἰ καὶ ἐθέλει ἀπὸ τοῦ ἐπαινετοῦ ἄθλου κεκληθῆσθαι ὅμως κωμωδεῖται ἄλλως ἐν τῷ δι' Ἀθλίου πρὸς ἄθλιον. Ceterum ea omnia obscura sunt.

b) ad Parmenionem.

(30) 1. Arr. I 29, 3: καὶ Παρμενίωνι ἐπέστειλεν, ἄγοντα ἅμα οἱ τὴν δύναμιν ἐκεῖσε (sc. Gordium) ἀπαντᾶν.

(31) 2. Plut. Alx. 22, 2: πυνθανόμενος δὲ μισθοφόρων τινῶν γυναῖκα διεφθαρκεναὶ Δάμωνα καὶ Τιμόθεον Μακεδόνας τῶν ὑπὸ Παρμενίωνι στρατευομένων, ἔγραψε Παρμενίωνι κελεύων, εἰ ἐλεγχθῶσιν, ὡς θηρία ἐπὶ καταφθορᾷ τῶν ἀνθρώπων γεγόνота τιμωρησάμενον ἀποκτεῖναι. Καὶ περὶ ἑαυτοῦ κατὰ λέξιν ἐν ταύτῃ τῇ ἐπιστολῇ γέγραφεν· „Ἐγὼ γὰρ οὐχ ὅτι ἑωρακῶς ἂν εὐρεθείην τὴν Δαρείου γυναῖκα ἢ βεβουλευμένος ἰδεῖν, ἀλλ' οὐδὲ τῶν λεγόντων περὶ τῆς εὐμορφίας αὐτῆς προσδεδεγμένος τὸν λόγον“.

Memoriam suam aequae atque omnia quae c. 22 narravit Plutarchus mea quidem sententia sumpsit ex Charete; utrum ipse eum inspexerit, an per Duridem eo usus sit auctore, nihil interest (cf. etiam Vogel p. 8). Quae si ita sunt, qua de re minime dubito, memoria illa fide est dignissima. Quae autem ad verbum ex Alexandri epistula adfert, ea Plutarchum ex epistularum collectione sumpsisse recte dixit Hansen p. 297, quare illius epistulae fides nobis probanda est. De re cf. Arr. II 12, 3 sq.; Diod. XVII 36 sq. et 114; Curt. III 11, 24 sq., IV 10, 24; Just. XI 9, 12 et 12, 7; Plut. Alx. 21; Gell. VII (VI) 8, 2; Athen. XIII p. 603^c; Plut. de curios. 13 p. 522 A; de fort. 1 p. 97^d; Val. Max. IV 7 ext. 2; Lucian, νεκρ. διαλ. 14, 4 (p. 397 Reitz); itin. Alxi. 37. Alexander scribit se Darei uxorem non solum non vidisse, sed ne sermones quidem de pulchritudine eius admisisse. Quae prorsus congruunt cum Ptolemaei Aristobulique memoria: scriptores enim illi secundum Arrianum tantum de Leonnato ad captivas Persarum feminas misso narraverant; ex λεγομένοις Arrianus quoque adfert Alexandrum cum Hephaestione captivas visisse, sed ex ipsa Arriani relatione perspicuum est, τὰ λεγόμενα utramque memoriam novisse, sicut etiam scriptum est apud Diodorum et Curtium. Optima memoria exstat etiam apud Gellium ex Apione et Plutarchum, τὰ λεγόμενα secuti sunt Valerius Maximus et itinerarium, Justinus denique prorsus cum Curtii relatione de Leonnato misso congruit (cf. Crohn, l. 1. p. 31 sq.), tantum quod Alexandrum cum Leonnato confudit. Crohn Justinum brevitati quam maxime studentem duplicem Leonnati et Alexandri cum captivis congressum per-

peram in unum contraxisse dicit; sed non recte ille quidem. Equidem Trogum nisi de uno congressu locutum esse non puto, nam, ni ita esset, mirum esset apud Justinum ne verbum quidem ex altero congressu servatum esse, cum omnia fere cum primo Curtii congressu congruerent; cogitari etiam potest iam Trogum pro Leonnato Alexandri nomen posuisse. Certe Justini verba XI 12, 7: „nam semel tantum eam ab Alexandro visam esse, cum matrem parvulasque filias eius frequenter consolaretur“ huic sententiae non obstant. Plutarchum memoriam suam c. 21 ex Aristobulo sumpsisse valde est verisimile, quem insuper in fine capituli ipse citat; quod Luedecke l. l. p. 75 sq. Plutarchum opus quoddam collectaneum adidisse vult, errat vir doctus, cum opus illud collectaneum nihil sit nisi somnium. Athenaeus et Lucianus breviter tantum rem attingunt, ita ut nihil ex iis proficiatur. Non alienum mihi videtur adnotare et Diodorum et Arrianum in λεγομένοις de Darei matre tantum loqui; fortasse haec eadem est memoria quae apud Plutarchum de curios. 13 exstat: ὁμοίως οὐδ' Ἀλέξανδρος εἰς ὄψιν ἦλθε τῆς Δαρείου γυναικός, εὐπρεπεστάτης εἶναι λεγομένης· ἀλλὰ πρὸς τὴν μητέρα φοιτῶν αὐτῆς πρεσβύτιν οὖσαν, οὐχ ὑπέμεινε τὴν νέαν καὶ καλὴν ἰδεῖν.

Ptolemaei Aristobulique memoriam iure omnes fere homines docti secuti sunt: cf. Flathe I 301, Thirlwall VI 185, Grote XI 449; Droysen I 1 p. 266 rem in medio relinquit. Contra Ranke, l. l. III 2 p. 70 sq. vulgarem famam veram esse putat; dicit enim Diodori memoriam habere „das Gepräge einfacher Aufrichtigkeit . . . die durch Bild und Wort gefeierte Handlung Alexanders kann bei der Erzählung der Autoren noch eher bestehen, als nach dem Briefe, nach welchem Alexander die Gemahlin des Darius garnicht mit Augen gesehen hat.“ Sed hanc Rankii sententiam probare non possum. Jam Thirlwall l. l. recte iudicavit, cum dixit: this anecdote, if true, would scarcely have been omitted both by Ptolemy and Aristobulus: and perhaps Alexander showed a more delicate generosity, if he abstained from a visit, which, however kind and condescending his language and behaviour, could not but carry with it something like the air of a triumph.“

Tota haec relatio mollis atque misericordiam movens eundem redolet auctorem quem memoria illa de congressu Darei cum spadone post uxoris mortem i. e. Callisthenem. Itaque de epistulae fide, quia cum optima memoria congruit, non est dubitandum; licet paullum veritatem excedat, quidni Alexander ita scripserit? Epistolam veram esse putant etiam Geier, Alexander u. Aristoteles p. 155 sq.; Oncken l. l. II p. 282; Hansen p. 295 sq.; Gutschmid. Liceat mihi Gutschmidii verba, quae sodalis meus Gleye mecum communicavit, adferre: „die Briefe sind auf Effekt berechnet und eine solche schöne Gelegenheit über seine Enthalttsamkeit den Frauen gegenüber zu reden, wird er sich nicht entgehen haben lassen wollen. Daher ist der Brief Plut. Alx. 22 wohl authentisch. Den Frauen gegenüber war Alexander keusch wegen seiner φιλοπαιδία“. Quod Gutschmidii de Alexandro iudicium equidem omni ex parte probare non possum. Apud Athenaeum sane XIII p. 603^a sq. scriptum legimus Alexandrum puerorum fuisse amantissimum (φιλόπαις δ' ἦν ἐκμανῶς καὶ Ἀλέξανδρος ὁ βασιλεύς) atque duo ibi adferuntur exempla ex Dicaearcho et Carystio. Dicaearchus Alexandri erat aequalis atque testis est gravissimus fideque dignissimus. Eadem, quae Athenaeus ex Dicaearcho adfert, Plut. Alx. 67 narrat, quo ex loco discimus haec facta esse in Gedrosiae capite post Alexandri reditum ex India, ubi festos dies agens exercitum recrearet. De Bagoa spadone nonnulla refert etiam Curtius VI 5, 23, ubi diserte dicit, Bagoam Alexandro adsuevisse, et X 1, 22 sq., ubi de Orxinis supplicio narrat. De hac re, quamquam historici huius aetatis¹⁾ tacent, non est mea quidem sententia, quod dubitemus. Ex Diodoro XVII 77, 6 enim et Curtio VI 6, 8 discimus Alexandrum se 365 paelicibus et spadonibus, ipsis muliebria pati adsuetis, circumdedisse atque etiam hac in re Persarum morem secutum esse, quod satis probabile est. Itaque falso Vogel l. l. p. 16 Plutarchum memoriam suam ex „irgend einer Sammlung peripatetischen Klatsches“ sumpsisse dicit,

1) Droysen I 1 p. 99, Holm III p. 427, alii de virtute castitateque Alexandri optimum faciunt iudicium.

immo de φιλοπαιδία Alexandri non est dubitandum¹⁾. Sed equidem Alexandrum non semper talem fuisse puto; factus est ille quidem talis, postquam paelices spadonesque circa se habere i. e. postquam rex Persarum factus eorum morem sequi coepit. Ad sententiam meam probandam adferre possum nonnullas Alexandri epistulas, quas ex optimo fonte Plutarchus sumpsit. Jam supra dixi mea quidem sententia totum caput a Charete esse repetendum, initio autem capitis Plutarchus duas commemorat epistulas Alexandri ad Philoxenum et ad Hagnonem, qui de pueris formosis ad eum scripserant, ubi graviter eos corripit, quod talia sibi opprobria commendent: τὸν δὲ Φιλόξενον αὐτὸν ἐν ἐπιστολῇ πολλὰ λοιδορήσας ἐκέλευσεν αὐτοῖς φορτίους τὸν Θεόδωρον εἰς τὸν ἑλεθρον ἀποστέλλειν . . . Ἐπέπληξε δὲ καὶ Ἄγωνι γράψαντι πρὸς αὐτόν, ὅτι Κρωβύλον εὐδοκιμοῦντα ἐν Κορίνθῳ βούλεται πριάμενος ἀγαγεῖν πρὸς αὐτόν. Epistulas illas Plutarchum non ex collectione sed ex auctore suo sumpsisse iam recte vidit Hansen l. 1. Epistula ad Philoxenum saepius commemoratur: Plut. de Alxi. virt. I 12 p. 333 A; non posse suav. viv. sec. Ep. XVII 8 p. 1099^c; Athen. I 22^{d2}). Quod Plutarchus de Alxi. virt. I 12 eadem fere, quae regem Alx. 22 amicis dixisse tradit³⁾, in epistula fuisse scripta dicit, nihil refert; sane num re vera in epistula

1) Niebuhr sane p. 420 et 501 Alexandrum etiam Hephaestionis amatorem fuisse dicit, sed falsum illud iudicium sine dubio ortum est ex Justini XII 12, 11 memoria, ex nescio quo obtrectatore sumpta, cui Niebuhr fidem habere non debebat.

2) Cur Pape-Benseler, Wörterbuch d. griech. Eigennamen s. v. Philoxenum, quem Athenaeus commemoravit, alium fuisse dicant atque notum illum ducem saepissime a scriptoribus allatum omnino non intellego. Dicunt homines illi docti alterum Philoxenum praeter Athenaeum semel ab Arriano III 16, 6 esse commemoratum, sed cur apud Arrianum varii Philoxeni discernendi sint non video. Etiam alii homines docti, Sintenis, Dübner, Schulz, alii de duobus in Arriani Anabasi Philoxenis cogitaverunt, sed iure Droysen I 1 p. 349 n. 1 dixit unum omnino Philoxenum in Alexandri exercitu notum esse.

3) Plut. Alx. 22: ἐβόα πολλάκις πρὸς τοὺς φίλους ἔρωτων, τί πάποτε Φιλόξενος ἀσχερὸν αὐτῷ συνεγνωκῶς τοιαῦτα ὀνειδῆ προξενῶν κἀθηται. de Alxi. virt. I 12: πικρῶς ἀντέγραψεν ὃ κάκιστε ἀνθρώπων, τί μοι

scripta fuerint diiudicari non potest. Philoxenus et Hagnon duces erant Alexandri, quorum alter, Philoxenus dico, saepissime a scriptoribus laudatur, alter nisi a Plutarcho (de adul. et am. 24 p. 65^e; Alx. 40; 55) et Athenaeo (XII 539^a) non commemoratur¹⁾. Ex epistulis illis videmus Alexandrum initio regni non fuisse φιλόπαιδα. Denique Plutarchus, amat. XVI 28 p. 760^d adfert epistulam: λέγεται καὶ Ἀλέξανδρος ἐπιστεῖλαι Θεοδώρῳ, Πρωτέου ἀδελφῷ, Πέμψον μοι τὴν μουσουργὸν δέκα τάλαντα λαβῶν, εἰ μὴ ἐρᾷς αὐτῆς, sed eam ab obtrectatore quodam fictam esse, quis est quin videat. Westermann II p. 10 et Hansen p. 299 recte dixerunt etiam Plutarchum de fide epistulae dubitasse, cum λέγεται ἐπιστεῖλαι diceret; Alexandrum ad eundem Theodorum, quem εἰς ἑλεθρον ἀποστέλλειν iubet, de μουσουργῷ scripsisse vix est credendum.

Commemorandae iam sunt complures epistulae, quas Arrianus adfert, quarum de fide minime est dubitandum, cum Arrianus sine dubio apud optimos suos auctores earum mentionem invenerit factam.

c) ad Menetem.

(32) 1. Arr. III 19, 6: ἐπέστειλε δὲ καὶ Μένητι, ἐπειδὴν ἀφίκονται ἐπὶ θάλασσαν, καὶ ἐπιμεληθῆναι ὅπως ἐπὶ τριηρῶν κομισθῆσονται εἰς Εὐβοίαν.

§ 5 sq. Arrianus narrat Alexandrum socios suos Graecos et Thessalos in patriam dimisisse et ad Menetem, quem satrapen Syriae, Phoenices Ciliciaeque fecerat (Arr. III 16, 5), scripsisse, ut eos navibus in Euboeam transvehendos curaret: cf. de re etiam Diod. XVII 74, 3; Curt. VI 2, 17 sq.; Arr.

πάποτε τοιοῦτο συνέγνωσ, ἵνα τοιαύταις με κολακείας ἡδοναῖς. Adler p. 29 epistulam ex corpore epistularum depromptam esse putat, sed dubito num recte.

1) Exstat eius nomen etiam in nummis Teis cf. T. E. Mionn, et Deser. de méd. antiques, Suppl. VI p. 376 n° 1890. Paris 1833.

V 27, 5; IV 7, 2; cf. p. 61 sq. Equites Orchomenii in patriam reversi titulum votivum atque dona-Δι Σωτήρι dicaverunt, quo ei de reditu in patriam gratias agebant: cf. W. Larfeld, Sylloge inser. Boeot. Berlin 1883 p. 5 Nr. 11 (Cauer, del.² 291). Valde mihi placet P. Foucartii, Bull. de corr. hell. III (1879) p. 457 sententia, qui epigramma Anthol. Pal. VI 344 in monumento a militibus Thespiis domum reversis dicato inscriptum esse coniecit.

d) ad Clitum.

(33) 1. Arr. III 19, 8: Κλείτω δὲ τῷ τῆς βασιλικῆς ἑλῆς ἡγεμόνι ἐπέστειλεν, ἐπειδὴν ἐκ Σούσων εἰς Ἐκβάτανα ἀφίκηται, καταλείπειτο γὰρ ἐν Σούσοις ἀρρώστων, ἀναλαβόντα τοὺς Μακεδόνας τοὺς ἐπὶ τῶν χρημάτων τότε ὑπολειφθέντας, ἵεναι τὴν ἐπὶ Παρθυαίους, ἵνα καὶ αὐτὸς ἦξειν ἔμελλεν.

e) ad Ptolemaeum.

(34) 1. Arr. IV 29, 4: Ἀλέξανδρος δὲ τῶν Ἰνδῶν τινα τῶν αὐτομόλων πιστόν τε ἄλλως καὶ τῶν χωρίων δαήμονα ἐπιλεξάμενος, πέμπει παρὰ Πτολεμαῖον τῆς νυκτὸς γράμματα φέροντα τὸν Ἰνδόν, ἵνα ἐνεγέγραπτο, ἐπειδὴν αὐτὸς προσβάλη τῇ πέτρᾳ, τὸν δὲ ἐπιέναι τοῖς βαρβάροις κατὰ τὸ ὄρος, μηδὲ ἀγαπᾶν ἐν φυλακῇ ἔχοντα τὸ χωρίον, ὡς ἀμφοτέρωθεν βαλλομένους τοὺς Ἰνδοὺς ἀμφιβόλους γίγνεσθαι.

Agitur hoc loco de Aornidis rupis expugnatione. Arrianus sine dubio Ptolemaeo usus est auctore, praesertim cum ea, quae a Ptolemaeo ipso gesta sint, accuratissime enarrantur atque Ptolemaeus nunquam sibi videatur defuisse, ubicunque fortitudine vel alia virtute praestiterit. Quae ceteri scriptores tradunt¹⁾ pro nihilo habenda sunt; cf. Lezius I. I. app. XI et XII p. 87 sq.; Grote XII p. 47 n. 2; Droysen I 2 p. 120 n. 2.

1) Diod. XVII 86 sq.; Curt. VIII 11, 2 sq.; Just. XII 7, 12 s. q.; Plut. Alx. 58, 3; Strabo XV 688. Freinsheim (comm. in Curt. I. I.) et Droysen I 2 p. 120 n. 2 etiam Charetis frg. 11 (Müller) Athen. III p. 124^a ad hanc oppugnationem pertinere suspicati sunt; fortasse recte.

f) ad Cleomenem.

(35) 1. Arr. VII 23, 6. καὶ Κλεομένει, ἀνδρὶ κακῷ καὶ πολλὰ ἀδικήματα ἀδικήσαντι ἐν Αἰγύπτῳ, ἐπιστέλλει ἐπιστολήν . . . ἔλεγε γὰρ ἡ ἐπιστολή κατασκευασθῆναι Ἡφαιστίῳν ἡρῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ Αἰγυπτίᾳ, ἐν τε τῇ πόλει αὐτῇ καὶ ἐν τῇ νήσῳ τῇ Φάρῳ, ἵνα ὁ πύργος ἐστὶν ὁ ἐν τῇ νήσῳ, μεγέθει τε μέγιστον καὶ πολυτελείᾳ ἐκπρεπέστατον· καὶ ὅπως ἐπικρατήσῃ καλεῖσθαι ἀπὸ Ἡφαιστίωνος, καὶ τοῖς συμβολαίοις καθ' ὅσα οἱ ἔμποροι ἀλλήλοις συμβάλλουσιν ἐγγράφεσθαι τὸ ὄνομα Ἡφαιστίωνος . . . ἦν γὰρ καταλάβω ἐγώ, ἔλεγε τὰ γράμματα, τὰ ἱερὰ τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καλῶς κατασκευασμένα καὶ τὰ ἡρῶα τὰ Ἡφαιστίωνος, εἴ τί τι πρότερον ἡμάρτηκας, ἀφήσω σε τούτων, καὶ τὸ λοιπὸν ὀνηλίκον ἀν ἀμάρτης οὐδὲν πείσῃ ἐξ ἐμοῦ ἄχαρι.

Epistulam de honoribus Hephaestioni mortuo¹⁾ habendis Arrianus non ex collectione quadam epistularum, sed ex auctore suo hausit; nam collectionis nulla omnino apud eum exstant vestigia. Sed quonam ex auctore, ex Ptolemaeo an Aristobulo, Arrianus habeat memoriam suam prorsus incertum est neque diiudicare audeo. Schoene p. 32 sq., Schaefer I. I. p. 439, Luedecke p. 75 Arrianum Aristobulo, contra Droysen I 2 p. 403 Ptolemaeo usum esse auctore dicunt, sed argumenta eorum mihi non satis probabilia videntur esse; certe Arrianus ex optimis auctoribus suis memoriam suam sumpsit epistulae fide est dignissima. Hephaestionem inter heroas relatum esse optimi scriptores tradunt: cf. Plut. Alx. 72; Hyper. or. fun. 8 (9)¹⁾; deterioris notae scriptores de divinis honoribus Hephaestioni tributis narrant (cf. Diod. XVII 115; Just. XII 12, 12; Lucian, de cal. non cred. 17), sed memoria eorum nihili aestimanda est: cf. Arr. VII 14, 7. De Cleomene Aegypti praefecto cf. Schaefer, Dem. III 2 p. 312 (Lpz. 1854), Grote XII p. 75 n. 1. De loco quem Arrianus

1) Hyper. or. fun. 8 (9): θυσίας μὲν ἀνθρώποις γίγνομενας ἐφορᾶν, ἀγάλματα δὲ καὶ βωμοὺς καὶ ναοὺς τοῖς μὲν θεοῖς ἀμελῶς, τοῖς δὲ ἀνθρώποις ἐπιμελῶς συντελούμενα καὶ τοὺς τούτων οἰκέτας ὡς περ ἡρώας τιμᾶν ἡμᾶς ἀναγκαζόμενους.

ad verbum exscripsit dubitaverunt Thirlwall VII p. 104 et Hansen p. 286. Hansen Ptolemaeum, cum Cleomenem morte multaverit (Pausan. I 6, 3), ea verba in historiis suis finxisse dicit, ut se de hoc supplicio excusaret¹⁾; sin autem re vera verba illa in epistula fuerint scripta, Alexandrum hoc rei publicae causa (aus politischer Klugheit) scripsisse. Priorem Hansenii ratiocinationis partem equidem omnino non intellego. Primum enim etiam aliunde notum est Cleomenem hominem in primis improbissimum fuisse atque talem hominem morte multasse non est opprobrium neque de tali re excusatione opus est; ceterum equidem Hansenii sententiam omnino non intellego. Deinde quis credat Ptolemaeum sui purgandi causa Alexandro talia verba tribuisse, quibus infamia aspergeretur? Nemo, sine dubio; itaque miram illam Hansenii sententiam missam faciamus. Quod autem Alexandrum rei publicae causa epistulam scripsisse dicit, secutus est Droysenium I 2 p. 335 n. 1 et Thirlwallium I. I. Liceat mihi Droysenii verba adferre: „die Angabe, dass Kleomenes von Aegypten dem Verstorbenen ein Heroon in Alexandrien und ein anderes auf der Insel Pharos errichtete; die Nachricht hiervon und von anderen Ehrenbezeugungen, die der Satrap für Hephaestion erfunden, sandte er an den König, dessen Zorn er wegen mehrerer Bedrückungen fürchtete, und erhielt ein Dankschreiben von Seiten Alexanders, in dem es unter anderem hiess: „wenn ich höre . . .“ Selbst Arrian fällt über diese Antwort des Königs ein hartes Urtheil; mit Recht, wenn Alexander durch nichts als das Wohlgefallen an jenen Ehren des Hephästion bestimmt worden wäre“; sequuntur argumenta, cur Alexandrum purgandum esse censeat, quas quidem Hansen probavit. Sed undenam, quaeso, Droysen hanc relationem sumpsit? Quis non videt eum mirum in modum Arriani memoriam

1) Hansen p. 286: „da aber Ptolemäus als König ihn hinrichten liess (Paus. I 6, 3), so kann man auch vermuthen, dass er in seiner Geschichte Alexanders, gewissermassen um sich desswegen zu entschuldigen, den Cleomenes bereits bei diesem als sehr schlecht angeschrieben, aber gleichsam mit dem Privilegium weitere Nichtswürdigkeiten zu thun ausgestattet schilderte“.

immutasse? Ubinam scriptum est Cleomenem honores illos excogitasse atque per litteras cum Alexandro communicasse? Arrianus diserte dicit Alexandrum ipsum per epistulam iussisse, fana Alexandriae in Hephaestionis honorem aedificari reliquosque honores, quos Arrianus commemorat, haberi. Alexander Hephaestione mortuo impotentem luctum ostentavit immodiceque hunc casum tulit. Quae Plutarchus (Alx. 72, 2 et Pelop. 34, 5) tradit satis videntur fide digna esse, velut regem luctus causa omnium equorum mulorumque iubas tondidisse urbibusque propugnacula ademisse, similia. Iniuria igitur Droysen I 2 p. 314 n. 1 hanc memoriam reiecit, quod rectissime iam viderunt Thirlwall VII p. 94; Grote XII p. 68 sq.; Gutschmid, Gesch. Irans p. 14. Optime fieri potuit, ut Alexander Cleomeni, homini improbissimo, ignosceret, dummodo fana Hephaestioni pulcherrima aedificasset. Sane etiam aliae rationes civiles accessisse possunt, sed num causis illis adductus Alexander verba illa scripserit valde dubito.

g) ad Philoxenum.

(36) 1. Plut. Alx. 22, 1. Cf. supra p. 76 sq.

h) ad Hagnonem.

(37) 1. Plut. Alx. 22, 1. Cf. supra p. 76 sq.

i) ad Craterum, Attalum, Alcetam.

(38) 1. Plut. Alx. 55, 3. Cf. supra p. 64 sq.

k) ad Cleandrum, Sitalcem, Menidam.

(39) 1. Arr. III 26, 3: ἐπὶ Παρμενίωνα δὲ σταλῆναι Πολυδάμαντα, ἓνα τῶν ἐταίρων, γράμματα φέροντα παρ' Ἀλεξάνδρου πρὸς τοὺς στρατηγούς τοὺς ἐν Μηδίᾳ, Κλέανδρον τε καὶ Σιτάλκην καὶ Μενίδα· οὗτοι γὰρ ἐπὶ τῆς στρατιᾶς ἧς Παρμενίων ἤρχε τεταγμένοι ἦσαν· καὶ πρὸς τούτων ἀποθανεῖν Παρμενίωνα κτλ. Cf. Just. XII 5, 2; Plut. Alx. 48 sq.; Diod. XVII 79 sq.; Strabo XV p. 724; Curt. VII 2, 15 sq.

Arrianus in relatione sua de Philotae Parmenionisque nece secutus est Ptolemaeum. De causa ipsa hoc loco non est disputandum; quin Alexander de Philotae culpa crediderit non est dubitandum: iam pridem propter sermones insolentes Alexandro in suspicionem venerat, tunc vero insidias regi paratas, de quibus se audivisse Philotas ipse confessus est, eum celaverat. Itaque poenas merito luit, sane nimis graves: cf. Flathe l. l. p. 351, Holm l. l. III p. 392, Droysen I 2 p. 28. Iniuria Grote XII p. 20 n. 2, Thirlwall VI p. 271, O. Basiner, De Parmenione et Philota: Журн. мин. нар. пров. ССIII (1879) p. 193 sq. Philotam de neglecta denuntiatione purgare voluerunt (cf. etiam Niebuhr, l. l. II p. 488). Prae metu Alexander etiam Parmenionem necari iussit, quae caedes nullo pacto excusari potest (cf. Gutschmid, Gesch. Ir. p. 14). De Parmenionis caede omnes scriptores inter se congruunt: Diodorus, Justinus, Plutarchus, Strabo de caede breviter loquuntur, Arrianus et Curtius paullo uberius eam narrant. Licet Curtius multa rhetorice exornaverit, subdola caedes, qua Parmenionem interceptum esse tradit, verisimilis est¹⁾: dicit enim Alexandrum epistulas ad Parmenionem scripsisse unam suo, alteram Philotae nomine, et Parmenionem, dum eas legeret, necatum esse. Arrianus vel potius Ptolemaeus haec omisit et omnino quam brevissime potuit rem narravit. Curtius quoque tradit Polydamanta cum epistulis ad Cleandrum ceterosque duces missum esse, qua de re, cum Ptolemaeus ipse eam tradiderit, minime est dubitandum.

l) ad Eudemum et Taxilem.

(40) 1. Arr. VI 27, 2: ταῦτα δὲ ὡς ἔγνω ἐκπέμπει γράμματα ἐς Ἰνδοὺς παρὰ Εὐδῆμόν τε καὶ Ταξιλήν ἐπιμελεῖσθαι τῆς χώρας τῆς πρόσθεν ὑπὸ Φιλίππου τεταγμένης ἕστ' ἂν αὐτὸς σατράπην ἐκπέμψῃ ἐπ' αὐτῆς.

Arrianus tradit, Alexandro ex Gedrosia Carmaniam versus progredienti nuntiatum esse, Philippum Machatae filium

1) Iniuria Adler p. 16 de hac Curtii relatione dubitavit.

(Arr. V 8, 3), Indorum satrapen, a mercennariis ex insidiis necatum ac percussores a Macedonibus interfectos esse; qua re cognita eum ad Eudemum Taxilemque epistulam illam, quam supra attuli, scripsisse. Curt. X I, 20, qui eadem habet, nonnulla addit: sic Porum Taxilemque ad Alexandrum scripsisse, in epistulis vero eorum etiam de Abisaris morte scriptum esse; Alexandrum deinde Abisaris regnum filio eius attribuisse. Quae de Abisare tradit Curtius fide videntur digna esse (cf. Thirlwall VII p. 62, Droysen I 2 p. 234), etsi ab Arriano non commemorantur; nam Abisarem paullo antea morbo adfectum esse etiam Arr. V 29, 4 narrat. Sed utrum Alexander a Poro Taxileque epistulas acceperit an Eudemus eum certiozem fecerit diiudicari non potest neque multum interest.

m) ad satrapas.

(41) 1. Athen. XI 784^{ab}: Ἀλεξάνδρου δὲ τοῦ βασιλέως ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ταῖς πρὸς τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ σατράπας φέρεται τις ἐπιστολὴ ἐν ἣ ταῦτα γέγραπται: „βατιάκαι ἀργυροὶ κατάχρυσοι τρεῖς . κόνδυα ἀργυρᾶ ροῦ'. τούτων ἐπίχρυσα λγ'. τισιγίτης ἀργυροῦς εἷς . μύστροι ἀργυροὶ κατάχρυσοι λβ'. λαχανοθήκη (λαγυνοθήκη Kaibel, sed coniectura omnino opus non est) ἀργυρᾶ μία. οἰνοφόρον βαρβαρικὸν ἀργυροῦν ποικίλον ἐν. ἄλλα ποτήρια παντοδαπὰ μικρὰ κθ'. [ἄλλα ποτήρια μικρὰ (recte secluserunt Kaibel-Wilamovitz)] ῥυτὰ καὶ βατιάκαι (sic recte Kaibel pro βάτια καὶ) λυκιουργεῖς ἐπίχρυσοι καὶ θυματήρια καὶ τρυβλία.

Epistula illa sine dubio continebat catalogum donariorum ab Alexandro ad templum, vel urbem, vel satrapam missorum, minime vero „ein Referat über Beutestücke, über Trinkgeschirre, die Alexander irgendwo in seine Hände gebracht hatte und für wichtig genug hielt, um einem seiner Satrapen darüber Mittheilung zu machen“, quae est sententia Hansenii p. 298, mea quidem sententia satis mira. Similem catalogum habemus in titulo CIG. 2852 (Ditt. Syll. 170), ubi donaria ab Antiocho et Seleuco regibus Miletum εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ ἐν Διδύμοις missa recensentur. Falso

igitur G. Kaibel in editione sua ad hunc locum et U. de Wilamovitz de fide epistolae dubitaverunt, cum dicerent vix eam ab Alexandro scriptam, sed ex epistulario quodam desumptam esse, quo regis ad satrapas, satraparum ad regem epistolae collectae essent, collato Athenaeo XI 781' 782^a, ubi Parmenionis epistula ad Alexandrum commemoratur, in qua varia supellectilis genera recensita erant. Parmenionem sane tales ad Alexandrum epistulas misisse quis est quin credat (cf. infra n. 76), sed inde non efficitur, Alexandrum tales epistulas omnino non scripsisse. Praeterea valde dubito, num in collectione epistularum Alexandri ad satrapas etiam epistolae satraparum ad regem infuerint, nam si ita esset, Athenaeus sine dubio collectionem aliter nominasset¹⁾. In epistula ipsa nihil inest, quod suspicionem moveat; quare Hansen recte dixit, falsarium vix tam ieiunum supellectilis indicem finxisse. βατιάκη, κόνδυ²⁾), sine dubio etiam τσιγίτης vocabula sunt Persica cf. P. de Lagarde, Ges. Abh. Lpz. 1866 p. 211 sq. Vocabula illa epistolae fidem etsi per se non probant, cum βατιάκη et κόνδυ a scriptoribus eius aetatis usurpentur, tamen fidei non obstant. Ex verbis „φέρεται τις ἐπιστολή“ non est colligendum Athenaeum de epistolae fide dubitasse, quae est Hansenii p. 290 sententia. Contra satis mihi placet Hansenii coniectura, qui Hesychii glossam: γητικά · παρὰ Ἀλεξάνδρῳ ἐν ἐπιστολαῖς ποτήρια οὕτω καλούμενα huc pertinere atque γητικά vocabulum Persicum esse censet; rectissime enim negat intellegi posse, quomodo Alexander de poculis Macedonicis in epistulis locutus sit: non recte Fick, Kuhn's Ztschr. f. vgl. Spr. XXII (1882) p. 203 hoc vocabulum Macedonicum esse coniecit. Certe ex eadem vel simili Alexandri epistula sumptum est.

(12) 2. Diod. XVII 106, 3. ταῦτα δὲ πυνθανόμενος ὁ

1) Iniuria Adler p. 21 hominibus illis doctis assensus est: omnesque indices illos a falsario quodam compositos esse dixit, qui „non minores praedas ab Alexandro quam a diadochis captas esse ostendere voluerit“. Quae causa mea quidem sententia nihili facienda est.

2) In lingua Rossica hodie quoque ea vocabula in usu sunt: бадья, кандея.

βασιλεὺς πρὸς πάντας τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν στρατηγούς καὶ σατράπας ἔγραψεν, ἐπειδὴν ἀναγνώσι τὴν ἐπιστολὴν παραχρῆμα πάντας τοὺς μισθοφόρους ἀπολύσαι. Cf. XVII 111.

Alexander ex India reversus omnium fere rerum perturbationem invenit: in Media Baryaxes quidam regnum occupaverat; complures satrapae potestate sua male usi erant aliorumque spoliis suas facultates auxerant, quin etiam nonnulli milites mercenarios coegerant atque ita dominationem sibi instituerant. Alexander summam in noxiis puniendis adhibuit severitatem multosque morte multavit, cum sine dubio alio modo res componere non posset. Ad satrapas autem scripsit, ut statim mercenarios dimitterent; cf. Arr. VI 29; VII 4. De mercenariis nemo nisi Diodorus mentionem fecit, sed res minime est dubia: cf. Gutschmid, Gesch. Ir. p. 15; Thirlwall VII p. 74; Grote XII p. 61; Droysen I 2 p. 235.

(13) 3. Plut. Eum. 2, 3: ἔφθη δ' ἡ σκηνὴ καταφλεχθεῖσα καὶ μετενόησε τῶν γραμμῶν διαφθαρέντων ὁ Ἀλέξανδρος. Τὸ δὲ συγχυθὲν χρυσίον ἢ ἀργύριον ὑπὸ τοῦ πυρὸς ἀνευρέθη πλεῖον ἢ χιλίων ταλάντων. Ἔλαβε δ' οὐδέν, ἀλλὰ καὶ γράψας τοῖς πανταχοῦ σατράπαις καὶ στρατηγοῖς ἀντίγραφα τῶν διεφθαρμένων ἀποστέλλειν πάντα παραλαμβάνειν ἐκέλευσε τὸν Εὐμένην.

Plutarchus Alexandrum, cum Nearchum cum navibus ad Oceanum mitteret, ab amicis pecuniam exegisse et ab Eumene quidem trecenta talenta petiisse narrat, cum suo in aerario nihil haberet; qui cum centum tantum daret eaque aegre, regem famulos occulte ignem in eius tentorium inicere iussisse, postea autem, quia tabularium simul esset consumptum, facti eum paenituisse. Quam narratiunculam ex Duride esse sumptam recte viderunt Droysen I 2 p. 310 n. 1 et Schubert l. 1. p. 649. Thirlwall VII p. 33 de narratiunculae fide non dubitavit, sed Droysen¹⁾ recte nonnullas indicavit difficultates

1) Droysen I 2 p. 310 n. 1: „Im höchsten Masse verdächtig wird diese Geschichte durch die angeführte Summe, zumal wenn man erwägt, dass es 33 Trierarchen waren, die damals in Function traten. Auch dass des Königs Kasse so erschöpft gewesen sein sollte, ist in Mitten der grossen Erfolge in Indien sehr seltsam.“

neque dubito quin narratiuncula paulum sit depravata, quamquam omnino eam esse excogitatam non puto¹⁾. Holm III p. 447 recte ex ea collegit, Eumenem, qui ἀρχιγραμματέως munere apud Alexandrum fungebatur, simul aerario tabularioque praefuisse; trecenta illa talenta sine dubio non ex peculiaribus suis oculis, sed ex aerario militari dare debebat. Ex Plutarchi verbis οὐ γὰρ ἦν ἐν τῷ βασιλείῳ colligi posse puto, seiungenda esse fiscum et aerarium, sicut supra p. 11 tabularia regum publicum et privatum seiungenda esse conieci.

4. Epistula Alexandri ad Philippum patrem.

(44) 1. Curt. VIII 1, 25: post expeditionem, quam sine eo fecisset ipse in Illyrios, victorem scripsisse se patri, fusos fugatosque hostes nec adfuisse usquam Philippum.

Inest haec memoria in oratione Alexandri ante Cliti caedem habita, qua de Philippi rebus gestis detrahebat. Expeditio contra Illyrios, quam Curtius hoc loco commemorat, sine dubio est eadem, quam Diod. XVI 93, 6 Philippum contra Illyriorum regem Pleuriam fecisse tradit. Schaefer, Dem. III p. 63 duas statuit expeditiones, alteram Alexandri vere a. 337, cum Philippus etiam tum in Graecia versaretur, alteram Philippi ipsius contra Pleuriam, sed Schaeferi sententiam probare non possum. Nam si res ita se haberet, mirum esset Alexandrum omnino expeditionem illam commemorasse; praeterea duas expeditiones contra Illyrios se excepisse veri est dissimillimum. Curtii memoria quanti facienda sit dici non potest.

1) Plut. Eum. 13 (cf. Diod. XIX 24) Eumenes etiam aerarii angustias simulat.

5. Epistulae Alexandri ad Olympiadem matrem.

(45) 1. Plut. Alx. XXVII 4: ταῦτα περὶ τῶν χρησμάτων οἱ πλείστοι γράφουσιν· αὐτὸς δὲ Ἀλέξανδρος ἐν ἐπιστολῇ πρὸς τὴν μητέρα φησὶ γεγονέναι τινὰς αὐτῷ μαντείας ἀπορρήτους, ἃς αὐτὸς ἐπανελθὼν φράσει πρὸς μόνην ἐκείνην.

Plutarchi memoria congruit cum iis, quae ex memoria Macedonica tradit Arr. III 4, 5: τῷ θεῷ ἐχρήσατο· ἀκούσας ὅσα αὐτῷ πρὸς θυμοῦ ἦν, ὡς ἔλεγεν, ἀνέζευξεν κτλ.: nemini igitur Alexander responsum dixit. Deterioris notae scriptores¹⁾ tradunt sacerdotem Alexandrum filium Ammonis salutasse eique orbis terrarum imperium praedixisse: illud certe a Callisthene erat traditum (cf. frg. 36 (Mueller) Strabo XVII 813) eiusque potissimum opera sine dubio factum est, ut fama illa percrebresceret. Sed Callisthenis liber post pugnam ad Gaugamela factam demum conscriptus est, tunc quoque sine dubio fama illa divulgata est. Alexander se ut Ammonis filium coli voluit post Dareum devictum idque rei publicae causa. Quod cum postulasset, fabula orta est Olympiadem e dracone Alexandrum concepisse. (Olympias orgiis interfuerat; cf. Plut. Alx. 2)²⁾. De ipsius epistulae, quam Plutarchus adfert, fide minime est dubitandum, quia cum optima memoria congruit; nihilominus Zacher p. 172, Droysen I 2 p. 404 et I 1 p. 319, Kaerst p. 113 eam fictam esse dixerunt. Zacher hanc epistolam eandem esse dixit, quam ecclesiae christianae scriptores³⁾ saepissime commemorarent quam-

1) Diod. XVII 51; Curt. IV 7, 25 sq.; Just. XI 11, 7 sq.; Plut. Alx. 27; cf. Ranke III 2 p. 75 sq.

2) Cf. Paus. IV 4, 7; Cic. de div. II 135; Just. XI 11, 3; XII 16, 2; Galen, ἐπὶ ζῶον τὸ κατὰ γαστήρ V p. 180 ed. Kühn.; Lucian. νεκρ. διαλ. 13 (cf. etiam 12. 14.). Singulari quodam modo in Aegypto fabula immutata est: narrabant Aegyptii, Alexandrum filium Nectanebi (II) fuisse, qui simulatus Ammoni cum Olympiade concubisset; cf. Ps. Call. I 1 sq. Mueller praef. ad Ps. Call. p. XIX.

3) Locos collegerunt Westermann II p. 9, Zacher, l. l.; cf. etiam Mueller, F. H. G. II p. 331; C. A. Lobeck, Aglaoph. p. 1000, Königsberg 1829. Fieri potest, ut vera epistula, quam adfert Plutarchus, causa fuerit, eam subditiva illa fingeretur.

que maxime innotuisse illi traderent; Zacherum secutus est Droysen. Sed iure Hansen p. 287 et Kaerst huic sententiae oblocuti sunt; nam si responsa in epistula, quam attulit Plutarchus, infuissent, certe Plutarchus ea quoque commemorasset neque tam breviter rem attigisset. Optime cogitari potest Alexandrum verba illa scripsisse, recteque Hansen dixit, Alexandrum „eben durch vollständige Geheimhaltung derselben (sc. d. Orakelsprüche) die verschiedenen darüber auftauchenden Gerüchte nicht zu widerlegen und sich so mit einem gewissen Nimbus zu umgeben“ voluisse¹⁾. Iniuria etiam Kaerst de epistula dubitavit; falsarius certe occasionem non omisisset responsa latius et diffusius adferendi.

(16) 2. Gell. n. a. XIII, 4: nam cum is ad matrem ita scripsisset: „rex Alexander, Jovis Hammonis filius, Olympiadi matri salutem dicit“, Olympias ei rescripsit ad hanc sententiam: „amabo“, inquit, „mi fili, quiescas neque deferas me neque criminere adversum Junonem: malum mihi prorsus illa magnum dabit, cum tu me litteris tuis paelicem esse illi confiteris“.

Sumpsit epistulam Gellius ex Varronis libro: „Orestes vel de insania“, sed unde Varro eam hauserit incertum est. Epistula sine dubio ficta est atque certe in Plutarchi epistularum collectione non inerat; nam Plut. Alx. 3 eandem rem ita narrat: ἔτεροι δὲ φασιν αὐτὴν ἀφοσιῶσθαι καὶ λέγειν· „οὐ παύσεται με διαβάλλων Ἀλέξανδρος πρὸς τὴν Ἥραν²⁾.“

1) Adler p. 28 se perspicere negat, qua de causa cum tanta cautione Alexander hac de re cum matre egerit; epistulam esse fictam a falsario quodam, cui rex dignior videretur „qui Iovis stirpem tacitus agnosceret, quam qui praedicatione iactaret“. (Curt. VI 10, 27). Sed vide quae supra dixi.

2) Eadem narratiuncula saepius in rhetoribus Graecis invenitur; cf. C. Walz, Rhet. Gr., Stuttg. 1832 — 36 I p. 207, II p. 247, II p. 587; Eunapius, Corp. ser. hist. Byz. pars I p. 71, Bonn 1829; Zonar. IV 10. Ex rhetorum locis apertissimum est eas non fuisse epistulas, velut Theon. progymn. V 29 (Rh. Gr. I p. 207) scriptum videmus: Ὀλυμπιάς πυθομένη τὸν υἱὸν Ἀλέξανδρον Διὸς αὐτὸν ἀποφαίνειν οὐ παύσεται οὗτος, ἔφη, διαβάλλων με πρὸς Ἥραν.

Epistulae illae sine dubio ex hac narratiuncula sunt ortae¹⁾. Verbo attigisse sat est Eratosthenem, ut Plutarchus auctor est, tradidisse, Olympiadem ipsam cum Alexandro τὸ περὶ τὴν τέκνωσιν ἀπόρρητον communicasse; similem habes relationem apud Just. XI 11, 3; Solin. 9, 18; Marc. Cap. VI, 655.

(17) 3. Arr. VI 1, 4 sq.: καὶ δὴ καὶ πρὸς Ὀλυμπιάδα γράφοντα ὑπὲρ τῶν Ἰνδῶν τῆς γῆς ἄλλα τε γράψαι καὶ διδοκοίῃ αὐτῷ ἐξευρημέναι τοῦ Νείλου τὰς πηγὰς, μικροῖς δὴ τισι καὶ φαύλοις ὑπὲρ τῶν τηλικούτων τεκμαιρόμενος.

Arrianus narrat, Alexandrum, cum in Indo amne crocodilos vidisset fabasque ad Acesinis ripas, quales Aegyptia tellus ferret, Nili se caput repperisse arbitratum esse deque hac re ad matrem scripsisse; cum vero diligentius de Indo flumine inquisivisset, tum demum id, quod ad matrem de Nilo scripsisset, ex epistula delevisse. Memoriam suam de epistula Arrianus ex auctore suo habet, quem Aristobulum fuisse puto²⁾, neque de hac re est dubitandum; de simili errore cf. n^o 66.

(18) 4. Pollux. VI, 87: ἐν Ἀλεξάνδρου πρὸς τὴν μητέρα ἐπιστολῇ μέμνημαι ἐν ἄλλοις σκεύεσι καὶ τὸν μύστρον εὐρών.

Ad haec Pollucis verba Westermann II p. 9 adnotavit, Pollucem fortasse memoriam fefellisse: μύστρον enim cum alia supellectile mentionem fieri apud Athenaeum in epistula ad satrapas (cf. supra p. 83). At minus recte mihi vir ille doctissimus hoc coniecisse videtur: ex Plutarcho³⁾ optime notum est Alexandrum matri suae permulta dona misisse neque veri dissimile est eum in epistulis indicem quoque donorum adiecisse. Quare, si error statuendus esset, multo verisimilius

1) Clarorum enim hominum dicta pergratum fuisse epistularum fabricatoribus argumentum multis probari potest exemplis.

2) Cf. Strabo XV p. 707 (frg. 32 Mueller). Schaeferi p. 439 alia est sententia.

3) Plut. Alx. 16 fin.: ἐκπώματα δὲ καὶ πορφύρας καὶ ὅσα τοιαῦτα τῶν Περσικῶν ἔλαβε, πάντα τῇ μητρὶ πλὴν ὀλίγων ἔπεμψεν. Alx. 25: ἀποστέλλων δὲ πολλὰ τῶν λαφύρων Ὀλυμπιάδι καὶ Κλεοπάτρῃ καὶ τοῖς φίλοις. Alx. 39: τῇ δὲ μητρὶ πολλὰ μὲν ἐδωρεῖτο καὶ κατέπεμψεν. Schaefer p. 444 omnes hos locos Plutarchum ex epistulis sumpsisse putat, sed unde hoc collegerit Schaefer non intellego.

esset sumere errore factum esse, ut epistula Alexandri ad matrem in corpus epistularum ad satrapas irreperet, quam memoriam Pollucem fefellisse. Sed quidni Alexander etiam ad satrapas talem epistulam scribere potuerit?

6. Epistulae Alexandri ad praeceptores, amicos, alios.

a) ad Aristotelem.

(49) 1. Plut. Alx. VII 4: ἤδη γὰρ εἰς Ἀσίαν διαβεβηκὼς καὶ πυθόμενος λόγους τινὰς ἐν βιβλίοις περὶ τούτων (i. e. ἀκροαματικῶν) ὑπ' Ἀριστοτέλους ἐκδεδοσθαι, γράφει πρὸς αὐτὸν ὑπὲρ φιλοσοφίας παρρησιαζόμενος ἐπιστολήν, ἧς ἀντίγραφόν ἐστὶν „Ἀλέξανδρος Ἀριστοτέλει εὖ πράττειν. Οὐκ ὀρθῶς ἐποίησας ἐκδοῦς τοὺς ἀκροαματικούς τῶν λόγων. Τίτι γὰρ ἔτι διοίσομεν ἡμεῖς τῶν ἄλλων, εἰ καθ' οὗς ἐπαιδεύθημεν λόγους οὗτοι πάντων ἔσονται κοινοί; Ἐγὼ δὲ βουλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις ἢ ταῖς δυνάμεσι διαφέρειν. Ἐρῶ σοι.“ Ταύτην μὲν οὖν τὴν φιλοτιμίαν [αὐτοῦ παραμυθούμενος Ἀριστοτέλης ἀπολογεῖται περὶ τῶν λόγων ἐκείνων ὡς καὶ ἐκδεδομένων καὶ μὴ ἐκδεδομένων. Cf. Gell. XX 5, 7 sq.; Zon. IV 8; Themist. or. 26 p. 385 (Dind.); Boissonade, anecdota nova, Paris 1844 p. 181 etc. alios locos adfert Westermann II p. 8 et Heitz p. 326 ed. Aristot. Didot.

Has epistulas fortasse veras esse dixerunt Niebuhr, Röm. Gesch. I³ p. 23 n. 39 et Stahr, Arist. I p. 203, II p. 46 sq., contra eas manifesto subditas esse iure contenderunt Rose, Heitz, Westermann, Hansen, Zeller, alii¹⁾. Plutarchus auctorem suum non nominat, sed ex Gellio discimus eum Andro-

1) V. Rose, De Aristot. libr. ord. et auct., Berlin 1854 p. 40 et p. 114; V. Rose, Arist. psepiogr. Lpz. 1863 p. 585 sq.; E. Heitz, Die verlorenen Schr. d. Arist. Lpz. 1865 p. 280 sq.; E. Zeller, Griech. Phil. II 2 p. 24 n. et p. 115 sq., ubi omnes, qui de hac re scripserunt, adfert homines doctos. Hansen p. 300; Westermann II p. 8, III p. 12.

nicum fuisse Rhodium primi a. Chr. n. s. peripateticum, quem primam Aristotelis operum integram curasse editionem tradit Plut. Sol. 26; sed utrum eas iam fictas invenerit Andronicus, an ipse finxerit incertum est, neque multum interest. Subditivas esse epistulas vel ex eo perspicuum est, quod ineptam illam tangunt opinionem de libris acroamaticis, quasi a vulgi notitia fuerint secreti. Ceterum Aristoteles ipse nusquam acroaticos vel acroamaticos et exotericos distinguit libros; (cf. Zelleri disputationem doctissimam). Aristotelis epistulam manifesto eiusdem auctoris esse atque Alexandri, cui responderet, rectissime docuit Rose, Ar. psepiogr. p. 593. De Aristotelis epistulis infra uberius erit dicendum¹⁾.

b) ad Leonidam.

(50) 1. Plut. Alx. 25, 4: „ὁ γὰρ Λεωνίδης, ὡς ἔοικε, ἐν θυσίᾳ ποτὲ πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον ἐπιδραξάμενον ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ καθαγίσαντα τοῦ θυμιάματος „Ὅταν“, ἔφη, „τῆς ἀρωματοφόρου κρατήσης, Ἀλέξανδρε, πλουσίως οὕτως ἐπιθυμιάσεις· νῦν δὲ φειδομένως χρῶ τοῖς παροῦσι.“ Τότε οὖν Ἀλέξανδρος ἔγραψε πρὸς αὐτόν· „Ἀπεστάλκαμέν σοι λιβανωτὸν ἄφθονον καὶ σμύρναν, ὅπως παύσῃ πρὸς τοὺς θεοὺς μικρολογούμενος.“ Cf. reg. et imper. apophth. Alx. 4 p. 179^e; Plin. XII 62.

Paullo aliter epistulae verba adferuntur Mor. p. 179^e: ἀπέσταλκά σοι τάλαντα [ἑκατὸν] λιβανωτοῦ καὶ κασίας, ἵνα μηκέτι μικρολογῇ περὶ τοὺς θεοὺς, εἰδὼς ὅτι καὶ τῆς ἀρωματοφόρου κρατοῦμεν; sed quin vera epistulae verba in vita Alex-

1) Schaefer p. 443, Hansen p. 301, Vogel p. 4 etiam Plut. Alx. 8: τῶν δὲ ἄλλων βιβλίων οὐκ εὐπορῶν ἐν τοῖς ἄνω τύποις Ἄρπαλον ἐκέλευσε πέμψαι. κακείνος ἔπεμψεν αὐτῷ . . . διθυράμβους. Ἀριστοτέλην δὲ θαυμάζων ἐν ἀρχῇ καὶ ἀγαπῶν οὐχ ἤττον, ὡς αὐτὸς ἔλεγε, τοῦ πατρός, ὡς δὲ ἐκείνον μὲν ζῶν, διὰ τοῦτον δὲ καλῶς ζῶν, ὑστερον ὑποπτότερον εἶχεν κτλ. ex epistulis Alexandri sumpta esse putant, sed vix recte: sententia eorum nullo modo probari potest; Plutarchus optime quae adfert ex auctore suo sumpsisse potest, quod insuper vocabulum ἔλεγε indicat. Etiam Adler p. 33 epistulam ad Harpalum enumerat, sed ex Plutarchi verbis hoc colligere non possumus.

andri habeamus non dubito. Ceterum scribendum est ἀπέσταλκα μὲν σοι (cf. p. 5 not. 7): vix enim credendum est Alexandrum plurali numero usum esse in epistula ad praeceptorem suum; praeterea singularem habes Mor. p. 179°. De epistulae narratiunculaeque fide non est dubitandum: cf. Thirlwall. VI p. 90; Geier., Arist. u. Alx. p. 17; Oncken. I. I. II p. 282; Hansen. p. 297; alios. Narratiunculam Plutarchum aequae atque ea quae ex epistula adfert verba ex Charete per Duridem sumpsisse puto.

Etiam epistulae sequentes, quas ex Plutarcho enumerabo, mea quidem sententia ex Duride a Plutarcho sumptae sunt, Duris autem eas ex Charetis libro hausit. (Cf. p. 12 sq.).

c) ad Phocionem.

(51) 1. Plut. Alx. XXXIX, 3: καὶ Φωκίῳ μὲν ἔγραψεν ἐπιστολὴν ὡς οὐ χρησόμενος αὐτῷ φίλῳ τὸ λοιπὸν, εἰ διωδοῖτο τὰς χάριτας. Cf. Plut. Phoc. 18, 2; Ael. v. h. I 25.

Ex Phocionis vita discimus Alexandrum Phocioni centum talenta misisse, Phocionem autem argentum non accepisse; ἐπεὶ δὲ Ἀλέξανδρος ἠγανάκτησε καὶ πάλιν ἔγραψε τῷ Φωκίῳ φίλους μὴ νομίζειν τοὺς μηδὲν αὐτοῦ δεομένους, χρήματα μὲν οὐδ' ὡς Φωκίῳ ἔλαβεν κτλ.; ex verbis πάλιν ἔγραψε colligere possumus Alexandrum, cum centum illa talenta mitteret, etiam epistulam ad Phocionem scripsisse, quod per se verisimillimum est: cf. de re etiam Ael. XI 9; reg. et imper. apophth. Φωκ. 9 p. 188°. De re ipsa non est dubitandum: cf. Grote XII p. 180; Droysen I 2 p. 270; Klotz, I. I. p. 46; Schaefer, Dem. II p. 49 et n. 6¹).

d) ad Peucestam.

(52) 1. Plut. Alx. XLI 2: Πευκίστα μὲν ἔγραψε μεμφομένος, ὅτι δηχθεὶς ὑπ' ἄρκτου τοῖς μὲν ἄλλοις ἔγραψεν, αὐτῷ

1) Iniuria Adler p. 33 de huius epistulae fide dubitavit, cum eam fictam esse diceret a philosophis, a quibus Phocion ut homo perfectissimus laudibus esset elatus, collato J. Bernays, Phocion u. seine neueren Beurteiler, Berl. 1881 p. 128, qui liber mihi Dorpati praesto non erat.

δ' οὐκ ἐδήλωσεν. „Ἀλλὰ νῦν γε, φησί, γράψον πῶς ἔχεις καὶ μὴ τινὲς σε τῶν συγκυνηγετούντων ἐγκατέλιπον, ἵνα δίκην δῶσι“.

Peucestes ille sine dubio est σωματοφύλαξ, qui ut Arrianus auctor est (VI 9, 3; 10, 2) Alexandrum in Mallorum urbe servavit multumque gratia valebat apud Alexandrum; (cf. Arr. VI 6, 3 τῇ τε σκευῇ καὶ τῇ φωνῇ περισσίων ἐλύπει αὐτοὺς ὅτι τῷ βαρβαρισμῷ αὐτοῦ ἔχαιρεν Ἀλέξανδρος). Cf. etiam n.º 54.

e) ad Hephaestionem.

(53) 1. Plut. Alx. XLI 2 τοῖς δὲ περὶ Ἡφαιστίωνα διὰ πράξεις τινὰς ἀποῦσιν ἔγραψεν ὅτι παιζόντων αὐτῶν πρὸς ἰχνεύμονα τῷ Περδίκκῳ δωρατικῶ περιπεσῶν Κράτερος τοὺς μηροὺς ἐτρώθη.

f) ad amicos, Peucestam, Megabyzum etc.

(54) 1. Plut. Alx. XLII 1 θαυμάσαι δὲ αὐτὸν ἐστὶ, ὅτι καὶ μέχρι τοιούτων ἐπιστολῶν τοῖς φίλοις ἐσχόλαζεν, οἷα γράφει παῖδα Σελεύκου εἰς Κιλικίαν ἀποδεδρακότα κελεύων ἀναζητῆσαι καὶ Πευκίσταν ἐπαινῶν, ὅτι Νίκωνα, Κρατέρου δοῦλον, συνέλαβε, καὶ Μεγαβύζῳ περὶ τοῦ θεράποντος τοῦ ἐν τῷ ἱερῷ καθεζομένου, κελεύων αὐτὸν, ἂν δύνηται, συλλαβεῖν, ἔξω τοῦ ἱεροῦ προκαλεσάμενον, ἐν δὲ τῷ ἱερῷ μὴ προσάπτεσθαι.

g) ad Alexippum medicum.

(55) 1. Plut. Alx. XLI 2. Πευκίστα δὲ σωθέντος ἔκτινος ἀσθενείας ἔγραψε πρὸς Ἀλέξιππον τὸν ἰατρὸν εὐχαριστῶν. Κρατέρου δὲ νοσοῦντος ὄψιν ἰδὼν καθ' ὕπνον αὐτὸς τέ τινὰς θυσίας ἔθυσεν ὑπὲρ αὐτοῦ κάκεινῳ θῦσαι ἐκέλευσεν.

h) ad Pausaniam medicum.

(56) 1. Plut. Alx. XLI 3 ἔγραψε δὲ καὶ Παισανίᾳ τῷ ἰατρῷ βουλομένῳ τὸν Κράτερον ἐλλεβορίσαι τὰ μὲν ἀγωνιῶν τὰ δὲ παραινῶν, ὅπως χρήσεται τῇ φαρμακείᾳ¹).

1) Cf. Plut. Alx. VIII 1: δοκεῖ δέ μοι καὶ τὸ φιλατρῆν Ἀλεξάνδρῳ προστρίψασθαι μᾶλλον ἐτέρων Ἀριστοτέλης. Οὐ γὰρ μόνον τὴν θεωρίαν

De his epistulis (d—h) nihil habeo quod addam; quin Alexander tales re vera scripserit epistulas equidem minime dubito, quamquam documentis uti non licet. Epistulas c. 42, 1 a Plutarcho allatas Hansen p. 298 sine dubio ex collectione sua Plutarchum sumpsisse dicit, sed non recte mea quidem sententia; eas quoque ex Charete ipso vel per Duridem eum hausisse puto: potest etiam de Agatharchide cogitari¹⁾.

i) ad Philotam.

(57) 1. Curt. VI 9, 18: „Hic (sc. Philotas), cum scripsissem ei pro iure tam familiaris usus atque amicitiae, qualis sors edita esset Jovis Hammonis oraculo, sustinuit rescribere mihi, se quidem gratulari, quod in numerum deorum receptus essem, ceterum misereri eorum, quibus vivendum esset sub eo, qui modum hominis excederet.“

Haec res nisi a Curtio non commemoratur neque dici

ἠγάπησεν, ἀλλὰ καὶ νοσοῦσαν ἐβοήθει τοῖς φίλοις καὶ συνέταττε θεραπείας τινὰς καὶ διαίτας, ὡς ἐκ τῶν ἐπιστολῶν λαβεῖν ἔστι. Adler p. 29 hoc ex loco collegit, Plutarchum c. 41 epistularum collectione usum esse, sed iniuria mea quidem sententia. Hoc ex loco nihil efficitur nisi in Plutarchi collectione tales epistulas infuisse, sed alia est quaestio, num epistulas, quas c. 41 commemorat, ipse collegerit, quod utique nego. Quare tota Adleri disputatio supervacanea est atque corrui. Accedit quod Adleri argumentatio satis est levis. Duas adfert causas, cur epistulas illas subditivas esse credat. Primum dicit ichneumone ad ludendum abusum esse Alexandrum prorsus esse incredibile, cum Aegyptii bestiam illam diis sacram putarent Alexandrique permultum interfuerit Aegyptiorum animos sibi conciliare. At num omnino verisimile est falsarium quendam tale aliquid invenisse bestiamque illam induxisse? Minime; praeterea ex Athenaeo XII 539^c, qui Agatharchide, scriptore fide dignissimo, usus est auctore, scimus, Perdiccam et Craterum *φιλογυμναστούντας* fuisse, qua de causa equidem de hac epistula minime dubito. Locus ille Athenaei, quem Adler ad sententiam suam firmandam attulit, ipsi epistulae fidei favet. Alterum Adleri argumentum, tales de medicina epistulas ementitas esse, cum notum sit, Alexandrum in valetudinaria vulneratorum visendorum causa venisse, ne dignum quidem est, quod refutetur.

1) Schaefer p. 443/4 ea, quae Plutarchus Alx. 22 de Ada, Cariae regina, narrat, etiam ex epistularum collectione sumpta esse ratus

potest, quanti haec memoria facienda sit. Responsum quod Philotam dedisse tradit Curtius prorsus congruit cum eius natura et moribus, quales quidem scriptores eas describunt: etiam in hac narratiuncula Philotas est homo liber atque ingenuus, qui regem suum ut homo vere Macedo nisi primum inter pares non habet. Itaque quamquam non est, cur huic memoriae ipsi fidem abrogemus, tamen fit dubia duabus de causis. Primum mirum est praeter Curtium ne unum quidem scriptorem hanc rem commemorasse, ita ut suspicio non absit hoc nihil esse nisi exornationem rhetoricam; accedit quod epistulae illae commemorantur in Alexandri oratione, quas Curtium ipsum finxisse quis est quin credat: cf. Droysen I 2 p. 405 sq. Deinde Plut. Alx. 27, 4 et Arr. III 4, 5 (cf. p. 87) tradiderunt Alexandrum nemini responsa dixisse. Nescimus sane, quando haec epistula ad Philotam fuerit data; postea Alexander cum amicis responsum communicasse cogitari potest: Curtius praeterea dicit: „pro iure tam familiaris usus atque amicitiae“.

k) ad Scytharum regem.

(58) 1. Arr. IV 5, 1: καὶ τοῦτω φιλόανθρωπα ἐπιστέλλει Ἀλέξανδρος.

Scytharum rex ad Alexandrum legatos non multum post cladem misit, qui pollicerentur regem omnia imperata facturum; quos benigne exceptos esse tradunt Arrianus et Curt. VII 9, 17 sq. Res minime est dubia.

addit: „der Pädagog Leonidas spielt . . . in den Briefen eine Rolle“, ita ut hac re sententiam suam probare velle videatur. Schaeferum secutus est Hansen p. 297. Sed non recte mea quidem sententia homines illi docti de hoc loco iudicaverunt: certe narratiuncula illa a Charete est repetenda, ut omnia quae c. 22 narrantur. Nam ubicunque Plutarchus narratiunculam illam profert, semper verbo *εἶπεν* vel *ἔφη* utitur, quod non fecisset, si epistula ei fuisset nota. Cf. de sanit. praec. 9 p. 127^b; non posse suav. viv. sec. Ep. 17, 8 p. 1099^c; apophth. reg. et imper. Alx. 9 p. 180^a. Quod dixi ex eodem auctore, Charete vel Duride, hanc quoque narratiunculam esse repetendam vel eo probari potest, quod Mor. p. 1099^c una cum narratiuncula de Philoxeno narrantur.

l) ad milites.

(59) 1. Arr. VI 12, 3 ὡς δὲ ἤκε ποτε λόγος ὅτι ζῆ Ἀλέξανδρος, τούτῳ μὲν μόγις ξυνεχώρησαν· εἰ δὲ καὶ βιώσιμος ἔστιν, οὕτω ἐπιστεύετο. ὡς δὲ καὶ γράμματα παρ' αὐτοῦ ἦκεν ὅτι ὅσον οὕτω κατελεύσεται ἐπὶ τὸ στρατόπεδον, οὐδὲ ταῦτα τοῖς πολλοῖς ὑπὸ τοῦ ἄγαν δέους πιστὰ ἐφαίνετο κτλ.

Cf. Lezius l. l. app. 35 et 36. Agitur hoc loco de militum desperatione, cum audivissent Alexandrum in Mallorum urbe gravissime vulneratum esse rumorque falsus exisset eum ex vulnere mortuum esse. Arrianus ex optimo auctore memoriam suam habet¹⁾.

m) ad Judaeorum pontificem.

(60) 1. Joseph. ant. Jud. XI 8, 3: Ἀλέξανδρος δὲ εἰς Συρίαν παραγενόμενος Δαμασκὸν αἶρει καὶ Σιδῶνος κρατήσας ἐπολιόρκει Τύρον, ἡξίου τε ἀποστείλας γράμματα πρὸς τὸν τῶν Ἰουδαίων ἀρχιερέα συμμαχίαν τε αὐτῷ πέμπειν καὶ ἀγορὰν τῷ στρατεύματι παρασχεῖν καὶ ὅσα Δαρείῳ πρότερον ἐτέλουν δῶρα τούτῳ δίδόναι, τὴν Μακεδόνων φιλίαν ἐλόμενον· οὐ γὰρ μετανοήσειν ἐπὶ τούτοις κτλ. Cf. Zon. IV 15; Euseb. chron. ed. Schoene p. 114.

§ 4 sq. Josephus narrat pontificem Alexandri imperium recusasse atque hac de causa Alexandrum Tyro et Gaza expugnatis contra Hierosolyma profectum esse, urbem vero per pontificis somnium servatam esse: Alexandrum urbem intrasse atque in templo ex sacerdotis praescripto Deo sacrificasse Judaeisque magna privilegia concessisse. Quae Josephi memoria valde est mira minimeque verisimilis neque dici potest, quantum veri in ea insit, cum praeter Josephum ne unus quidem scriptor²⁾ de hac re locutus sit. Similia etiam a Samaritanis erant tradita. Fide dignum nihil videtur esse, nisi

1) Gutschmid, Gesch. Ir. p. 14 ex eo, quod Alexander extremis aetatis suae annis saepius vulneratus est, colligere voluit, eum militibus suis non nimis confidere potuisse atque hac de causa se ipsum periculis obtulisse, ut milites inflammaret; nescio an recte.

2) Ps. Call. II 24 sciens omisi.

Judaeos se Alexandri imperio subiecisse regemque iis concessisse, ut legibus patriis uterentur; cetera omnia sive ficta sunt sive exornata¹⁾. Droysen I 1 p. 297 et p. 299 n. 1 et Thirlwall VI p. 206 ex parte Josephum secuti sunt, Grote XI p. 466 nihil dicit nisi: „having accepted the voluntary submission of the Jews etc. Alexander num re vera talem ad pontificem epistulam scripserit valde dubito, sed rem diiudicare non audeo.

n) ad Romanos.

(61) 1. Strabo V 232: καὶ πρότερον δὲ ναῦς ἐκέκτηντο (sc. Antiatae) καὶ ἐκοινωνοῦν τῶν ληστηρίων τοῖς Τυρρῆνοῖς, καίπερ ἤδη Ῥωμαίοις ὑπακούοντες· διόπερ καὶ Ἀλέξανδρος πρότερον ἐγκαλῶν ἐπέστειλε (sc. Romanis) καὶ Δημήτριος ὕστερον κτλ.

Westermann II p. 10 et Hansen p. 303 hanc epistulam non ab Alexandro Magno sed ab Alexandro Epirota scriptam esse putant; similiter Grote XII p. 70 n. 2 dixit: „the story in Str. V 232 can hardly apply to Alexandre the Great.“ Sed iure Droysen I 2 p. 319 n. 1 et p. 405; Schaefer, Dem. III p. 198 n. 2; Thirlwall VII p. 100; Niebuhr, Roem. Gesch. III 194 sq.²⁾ de epistulae fide non dubitaverunt eamque ab Alexandro Magno scriptam esse contenderunt. Schaefer hanc epistulam legatis Romanis, qui Alexandrum, ut Clitarchus

1) Similiter iudicaverunt H. Ewald, Gesch. d. Volkes Israel IV p. 238 sq. Götting. 1852 et L. Seinecke, Gesch. d. Volkes Israel, Gött. 1884 p. 94 sq. Seinecke recte monuit Josephum: contra Ap. 2, 7, ubi reges imperatoresque, qui templum intrassent, enumeraret, Alexandri mentionem non fecisse. F. Hitzig, Gesch. d. Volkes Israel, Lpz. 1869 II p. 323 „alles Märchen“ esse dicit. Contra L. Herzfeld, Gesch. d. Volkes Israel, Nordhausen 1855 II p. 404 sq. ex parte Josephi relationem adoptavit, simili atque Thirlwall usus ratiocinatione. E. Schürer, Gesch. d. jüd. Volkes, Lpz. 1890 I p. 138 not. 1 et II p. 245 rem in medio relinquit.

2) Niebuhr n. 300 falso Alexandrum piratas Antiates Romanis remisisse dicit; quae Strabo de piratis remissis narrat ad Demetrium solum referenda esse iam Thirlwall rectissime monuit: sed hoc errore remoto Niebuhrii disputatio optima est.

auctor est, Babylone convenissent datam esse suspicatur, qui eam domum ferrent, Thirlwall contra, Niebuhrium secutus, epistulam causam fuisse putat, cur Romani Babylonem legatos mitterent; hic nescio an recte. Clitarchum¹⁾ de Romanorum legatione locutum esse scimus ex Plinio III 57 (frg. 23), Arr. VII 15, 5 Aristum Asclepiademque idem tradidisse dicit; quod autem Aristus Asclepiadesque Alexandrum de futura Romanorum potentia auguratum esse perhibuerunt, certe non a Clitarcho erat narratum: ea non cadunt nisi in scriptorem Romanis rebus aperte faventem atque nihil sunt nisi vaticinium ex eventu. Ceterum de Romanorum legatione minime est dubitandum, quod iure contenderunt Niebuhr, Droysen, Grote, Schaefer, Thirlwall, Gutschmid, Holm III p. 413; iniuria Mommsen, Roem. Gesch. I^o p. 386 n. et p. 419 n.²⁾ de hac legatione et de epistula Alexandri ad Romanos dubitavit. Sane dixerit quis, omnes fortasse populos notarum tum terrarum a Clitarcho recensitos fuisse; sed undenam hoc scimus? Ex brevissima illa Plinii mentione nihil efficitur neque integra nobis est potestas memoriam, quae per se optime vera esse possit, reiciendi, priusquam falsam esse probaverimus. Quod Liv. IX 18 Alexandrum ne fama quidem Romanis notum fuisse dicit ineptiae sunt³⁾. Ex Livii (VIII 14) verbis: „interdictum mare Antiati populo est“ (a. 338) non conficitur eos piratica mare infestare desiisse: immo ex Strabone perspicuum est, eos καίπερ ἤδη Ῥωμαίοις ὑπακούοντας piraticam fecisse una cum Tyrrhenis; qua de causa etiam Athenienses coloniam eo miserunt (εἰς τὸν Ἀδρίαν ἀποικία), ut a latrociniis Tyrrhenorum

1) De Clitarchi frg. 23 cf. Schoenle, l. l. p. 56. Etiam Westermann falsam illam Geieri Muellerique sententiam secutus est.

2) Mommsen Aristum Asclepiadem Memnonem memoriam suam plane ex Clitarcho hausisse putat, qui totam rem effinxerit; etiam Strabonis de epistula memoriam ex Clitarcho haustam esse dicit. Utraque sententia minime est probanda. Etiam Nissen Rh. Mus. XLVII p. 171 de Romanorum legatione non dubitat.

3) Romanos non multo ante foedus cum Alexandro Epirota, Alexandri Magni avunculo, Olympiadis fratre fecisse, Livius ipse auctor est.

in mari Adriatico mercaturam suam defenderent CIA. II 809 (Ditt. Syll. 112) a. 325/4. Quae apud Strabonem sequuntur ad Demetrium pertinent.

(62) 2. Phot. bibl. 224 (725 R.) F. H. G. III 538 frg. 25, 3. ὅπως τε ἐπὶ τὴν Ἀσίαν Ἀλεξάνδρῳ διαβαίνοντι καὶ γράψαντι ἢ κρατεῖν, εἰάν ἄρχειν δύνωνται, ἢ τοῖς κρείττοσιν ὑπέλκειν, στέφανον χρυσοῦν ἀπὸ ἱκανῶν ταλάντων Ῥωμαῖοι ἐξέπεμψαν. (ex Memnonis historia Heraclaeae).

Haec Alexandri epistula manifesto est ficta; eadem fere verba Phocionem dixisse tradit Plut. Phoc. 21, cum Alexander trieres ab Atheniensibus postulasset: λέγω τοίνυν ὑμῖν ἢ τοῖς ὕπλοις κρατεῖν ἢ τοῖς κρατοῦσι φίλους εἶναι. (Cf. etiam Alexandri responsum Carthaginiensibus datum Ps. Call. I 30). Westermann, Mueller, Mommsen Memnonem Clitarcho usum esse auctore suspicati sunt; sed recte iam Schoene l. l. p. 57 monuit memoriam Memnonis, ut nunc apud Photium invenitur, vix ex Clitarcho sumptam esse posse: nam Photii verba legationem illam non post Alexandri ex India reditum, sed ἐπὶ τὴν Ἀσίαν διαβαίνοντι factam esse declarant. Quin una tantum fuerit legatio eaque post Alexandri ex India reditum, non est dubium, sed quando variae illae memoriae ortae sint incertum est. Inter Aristi Asclepiadisque, Memnonis et Pseudocallisthenis I 29¹⁾ memorias intercedit aliqua necessitudo, sed alius alium locum, ubi legatio Alexandrum convenerit, indicat. Ceterum erravit Schaefer, cum dixit, Memnonem de futura Romanorum potentia locutum esse: hoc nisi ab Arriano ex Aristo Asclepiadeque non commemoratur.

1) Equidem ex Pseudocallisthene Memnonis fragmentum corrigendum esse coniecerim; dicitur enim non satis apte στέφανον χρυσοῦν ἀπὸ ἱκανῶν ταλάντων: puto pro ἱκανῶν levissima mutatione scribendum esse ἑκατόν, quod invenimus apud Pseudocallisthenem et Julium Valerium: corona . . . auri pondo C insignata; χρυσοῦν στέφανον ὀκτῆς λιτρῶν ρ'. Praeterea pro τὴν Ἀσίαν verisimillimum mihi videtur scribendum esse Σικελίαν; etiam apud Valerium Alexander ex Thracia in Lycaoniam et Siciliam transmittit. Pro Pseudocallisthenis codicum scriptura Ἀμπύσσαν vel Ἀμπουσαν, quam Mueller in Ἀσπένδον mutavit, equidem Λυκαωνίαν coniecerim.

7. Epistulae Alexandri nescio ad quem datae.

Hae epistulae, quamquam homines, ad quos datae sunt, non nominantur, tamen omnes fere ad Antipatrum scriptae esse videntur.

(63) 1. Plut. Alx. XVII 4. ἡ δὲ τῆς Παμφυλίας παραδρομὴ πολλοῖς γέγονε τῶν ἱστορικῶν ὑπόθεσις γραφικὴ πρὸς ἐκπληξιν καὶ ὄγκον Αὐτὸς δὲ Ἀλέξανδρος ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς οὐδὲν τοιοῦτον τερατευσάμενος ὁδοποιῆσαι φησι τὴν λεγομένην Κλίμακα καὶ διελθεῖν ὁρμήσας ἐκ Φασηλίδος.

Omnnes, qui exstant, scriptores¹⁾ praeter Strabonem de itinere Alexandri secundum Climacem facto talem habent rei expositionem, qualem primum Callisthenem dedisse ex Eustathio ad Il. XIII 29 (frg. 25 Mueller) perspicuum est. Strabo XIV 666 sq. solus, qui de divina ope nihil habet, narrat ἔλθην τὴν ἡμέραν ἐν ὕδατι γενέσθαι τὴν πορείαν συνέβη μέχρι ὀμφαλοῦ βαπτιζομένων. Equidem homines doctos de ratione, quae intercederet inter singulos scriptores et epistulam non satis recte iudicasse puto. Fraenkel p. 92 et p. 468 Arrianum Aristobulo usum esse auctore dicit, qui memoriam suam ex Callisthene haberet, Strabonem autem memoriam suam ex Ptolemaeo veritatis amantissimo hausisse, quocum etiam Alexandri epistulam consentire; Appianum denique per Hieronymum Cardianum ex Aristobulo sua habere. Fraenkelio assensus est Luedecke l. l. p. 71 sq.; cf. etiam Vogel l. l. p. 7.

1) Arr. I 26, 1: οὐκ ἄνευ τοῦ θεοῦ, ὡς αὐτὸς τε καὶ ἀμφ' αὐτὸν ἐξηγοῦντο, εὐμαρῆ καὶ ταχείαν τὴν πάροδον παρέσχον; App. b. c. II 149: καὶ τὸν Παμφύλιον κόλπον, τῆς θαλάσσης ἀνακοπέισις διέτρεχε δαιμονίως τὸ πέλαγος αὐτῷ τοῦ δαίμονος κατέχοντος ἔστε παρέλθοι; Joseph. ant. Jud. II 348 (XVI 5 Niese): ὑπεχώρησε τὸ Παμφύλιον πέλαγος καὶ ὁδὸν ἄλλην οὐκ ἔχουσα παρέσχε τὴν δι' αὐτοῦ τοῦ θεοῦ θελήσαντος καὶ τοῦτο πάντες ὁμολογοῦσιν οἱ τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις συγγραψάμενοι; Pscall. I 28: μέρος τι τῆς θαλάσσης ὑπεχώρησε, ἵνα ἡ περὶ δὴ δύναμις διέλθῃ. Brevissime rem commemorat Curt. V 3, 22: „mare quoque novum in Pamphyliam iter aperuerat“ et VI 3, 16; Menander frg. 924 (Kock).

Equidem Arrianum uno Aristobulo usum esse nego, immo apud Arrianum memoriam ex Ptolemaeo et Aristobulo compositam nos habere contendo: exstant enim congruentiae inter Arrianum et Strabonem, velut

Strabo.

Arr.

ἡ μὲν οὖν διὰ τοῦ ὄρους ὑπέρ- χαλεπὴν ἄλλως καὶ μακρὰν
βασίς περιόδον ἔχει καὶ προσ- οὔσαν τὴν πάροδον.
ἀντὶς ἐστὶ.

Primam capitis 26 partem usque ad verba ἔστι δὲ ταύτη ἡ ὁδὸς sine dubio Arrianus sumpsit ex Ptolemaeo; quae sequuntur i. e. quaestio de ventis etc. ex Aristobulo fluxerunt, cum multus sit Aristobulus in oraculis, vaticiniis, portentis referendis. Sed miram inesse congruentiam inter epistulam et Arrianum quis non videt? quin etiam iisdem fere verbis utuntur

Arr.

Plut.

ἄρας ἐκ Φασηλίδος ὁρμήσας ἐκ Φασηλίδος
μέρος μὲν τι τῆς στρατιᾶς διὰ ὁδοποιῆσαι τὴν λεγο-
τῶν ὄρων πέμπει ἐπὶ Πέργης, μένην Κλίμακα
ἢ ὁδοποιήκεσαν αὐτῷ
οἱ Θράκες.

Prorsus erravit Grote XI p. 424 cum dixit „a road more difficult still, called Klimax, under the mountains by the brink of the sea“, nam non στενὴ πάροδος illa, sed mons Climax vocabatur, quod Strabo diserte dicit: ἔστι δ' ὄρος Κλίμαξ καλούμενον atque postea ἢ διὰ τοῦ ὄρους ὑπέρβασις. Similiter erravit Kaerst p. 107 cum dixit: „dass er an der sogenannten Klimax hinmarschiert sei.“ ὁδοποιεῖν non est „hinmarschieren“, sed „Weg bahnen“, qua de re etiam tradit Arrianus. Fieri potest, ut Ptolemaeus hac Alexandri epistula usus sit; saepius res ita se habet, ut Alexandri epistulas Ptolemaeo notas fuisse dicere possimus. Plutarchus nimis breviter de epistulae argumento rettulit, nam Alexandrum de itinere per litus inundatum facto in epistula prorsus tacuisse minime persuadere mihi possum; certe iter illud in epistula similiter erat

narratum atque id refert Strabo neque de divina ope quicquam in ea scriptum fuisse ex Plutarcho colligere possumus. Epistulam esse veram recte contenderunt Oncken II p. 280, Droysen I 1. p. 224, I 2 p. 404, Grote XI p. 425 n. 1, Hansen p. 282 sq. Droysen epistulam ad matrem esse scriptam sumit; sed cur hoc crediderit vir doctissimus non intellego. Schaefer p. 443 falso omnia usque ad finem capituli 17 ex illa epistula sumpta esse putat; quin Plutarchus ea ex 'historico quodam sumpserit non est dubium. De fide epistulae dubitavit Kaerst p. 107, cum diceret Plutarchi memoriam repugnare Arriani testimonio οὐκ ἄνευ τοῦ θεοῦ, ὡς αὐτός τε καὶ οἱ ἄμφ' αὐτὸν ἐξηγοῦντο; „es lag weder in Alexanders Interesse, noch in seiner Sinnesart, durch eigene objective Darstellung des wirklichen Hergangs den Glauben an den wunderbaren Verlauf zu zerstören.“ Sed primum epistula illa ad Antipatrum solum erat scripta neque publici iuris fiebat; deinde non obliviscendum est epistulam scriptam esse antequam Alexander adiret Ammonis oraculum, historicos autem omnes postea libros suos scripsisse, quod recte dixit Hansen.

(64) 2. Plut. Alx. XXXVII 2. φόνον μὲν οὖν ἐνταῦθα πολλὸν τῶν ἀλισκομένων γενέσθαι συνέπεσε· γράφει γὰρ αὐτὸς ὡς νομίζων αὐτῷ τοῦτο λυσιτελεῖν ἐκέλευεν ἀποσφάττεσθαι τοὺς ἀνθρώπους.

Initio c. 37 Plutarchus narrat Alexandrum ad πόλιν τῆς Περσίδας venisse, sed locum expugnare non potuisse, cum a nobilissimis Persis custodiretur; denique Lycium quendam eum alia via circumduxisse maximamque barbarorum partem a Macedonibus trucidatam esse, cuius rei testimonio Alexandri epistulam, quam supra exscripsi, adfert. Similiter rem tradunt Arr. III 18, Diod. XVII 68, Curt. V 4, 10 sq., Polyæn IV 3, 27, tantum quod Arrianus pro Lycio illo captivos (αἰχμάλωτοι) posuit. De caede quoque eadem habent scriptores illi cf. Arr. III 18, 9: οἱ πλείστοι τῶν βαρβάρων ἐν χειρὶ πρὸς τῶν Μακεδόνων κατεκόπησαν¹⁾; Diod. XVII 68 fin. τοὺς πλεί-

1) Quomodo Adler p. 27 scribere potuerit „qua de crudelitate nihil scriptum invenimus apud Arrianum“ omnino non intellego. Falsissime igitur de epistulae fide dubitavit.

στοὺς τῶν περὶ τὸν Ἀριοβαρζάνην ἀπέκτεινε. De fide epistulae igitur non est dubitandum. Alexander Persas nobilissimos trucidari iussit sine dubio πρὸς κατάπληξιν τῶν ἄλλων, quod eadem causa erat excidii Thebarum cf. Kaerst, p. 12 n. 1; similiter se gessit in India cf. argum. libri XVII Diodori δευτέρου τμήμα λβ': ἐμβολή εἰς τὴν Ἰνδικὴν καὶ ἀναίρεσις ἄρδην τοῦ πρώτου ἔθνους πρὸς κατάπληξιν τῶν ἄλλων. Grote XI p. 499 n. 3, p. 501 n. 3 et Vogel p. 10¹⁾ falso pro φασί scribunt φησί atque etiam verba apud Plutarchum sequentia ex epistula illa sumpta esse dicunt; quod inde factum est, quia caedem illam, de qua in epistula agitur in Persepolis, non in pylarum, expugnatione fuisse putant, quam commemorant Diod. XVII 70, 2; Curt. V 6, 6. De caede in Persepolis expugnatione atque de Persepolis direptione memoria Macedonica nihil habet atque direptio caedesque illae sine dubio nihil sunt nisi fabulae. Caede in pylis facta Persae se defendere desierunt: portis sua sponte patefactis se suaque victori permiserunt; Alexander regiam deleri iussit cum diceret se Persarum facinus ulcisci velle, quod τὰς τε Ἀθήνας κατέσκαψαν καὶ τὰ ἱερὰ ἐνέπρησαν καὶ ὅσα ἄλλα κακὰ τοὺς Ἕλληνας εἰργάσαντο. ὑπὲρ τούτων δίνας λαβεῖν. Orientis quidem populis regiae incendium alia portendebat: significabat enim eis Persarum dominationem esse desiisse novumque dominum adesse; neque dubium est, quin Alexander regiam incendio deleverit, quo orientis populorum animos moveret²⁾. Quae Diodorus, Curtius, alii de Thaide, de direptione caedequearrant nihil sunt nisi fabulae. Noeldeke³⁾ hanc quoque memo-

1) Similiter Schaefer p. 444, Hansen p. 291, Vogel p. 10 apud Plut. Alx. 36 φησί pro φασί scriptum volunt atque Plutarchi memoriam ex epistula quadam fluxisse putant; sed ibi quoque nihil est, cur codicis scripturam non sequamur neque c. 36 ex epistula sumptum esse puto.

2) Cf. A. Holm, Gesch. Gr. III Berlin 1891 p. 386; Gutschmid, Gesch. Ir. p. 1. Alexandrum regiam re saepius meditata incendisse vel ex eo perspicuum est, quod Arrianus eum cum Parmenione de hac re deliberasse dicit; cf. etiam Strabo XV p. 730.

3) Th. Noeldeke, Aufsätze z. pers. Gesch. Lpz. 1887 p. 141 et n. 2. Etiam Flathe, Gesch. Mac. I p. 334, Thirlwall VI p. 233, Grote

riam servare voluit remque ita explicavit, ut post pylarum expugnationem ante ipsa Persepolis moenia denuo pugnam fuisse atque hac de causa Alexandrum urbem diripi iussisse diceret; minus recte mea quidem sententia. Mirum sane est memoriam Macedonicam urbis expugnationem ita praetervolasse. Quomodo Hansen p. 284 sq. dubitare potuerit, utrum de Uxiis an de Persis apud Plutarchum verba fierent, atque dicere potuerit Diodorum et Curtium utramque Alexandri expeditionem confudisse equidem omnino non intellego.

(65) 3. Plut. Alx. LX. τὰ δὲ πρὸς Πῶρον αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ὡς ἐπράχθη γέγραφε. Φησὶ γὰρ ἐν μέσῳ τῶν στρατοπέδων τοῦ Ὑδάσπου ῥέοντος ἀντιπόρους ἰσάντα τοὺς ἐλέφαντας αἰὲν τὸν Πῶρον ἐπιτηρεῖν τὴν διάβασιν. Αὐτὸν μὲν οὖν καθ' ἡμέραν ἐκάστην φόρον ποιεῖν καὶ θόρυβον ἐν τῷ στρατοπέδῳ πολὺν ἐθίζοντα τοὺς βαρβάρους μὴ φοβεῖσθαι, νυκτὸς δὲ χειμερίου καὶ ἀσελήνου λαβόντα τῶν πεζῶν μέρος, ἵππεῖς δὲ τοὺς κρατίστους καὶ προελθόντα πόρρω τῶν πολεμίων διαπερᾶσαι πρὸς νῆσον οὐ μεγάλην. ἐνταῦθα δὲ βραχδαίου μὲν ἐκχυθέντος ὄμβρου, πρηστήρων δὲ πολλῶν καὶ κεραυνῶν εἰς τὸ στρατόπεδον φερομένων, ὅμως ὄρων ἀπολλυμένους τινὰς καὶ συμφλεγόμενους ὑπὸ τῶν κεραυνῶν ἀπὸ τῆς νησίδος ἄρας προσφέρεσθαι ταῖς ἀντιπέρας ὄχθαις. Τραχὺν δὲ τὸν Ὑδάσπην ὑπὸ τοῦ χειμῶνος ἐπιόντα καὶ μετέωρον ἔκρηγμα ποιῆσαι, μέγα καὶ πολὺ μέρος ἐκείνη φέρεσθαι τοῦ ῥεύματος, αὐτὸς δὲ δέξασθαι τὸ μέσον οὐ βεβαίως, ἅτε δὴ συνολισθάνον καὶ περιρρηγνύμενον . . . αὐτὸς δὲ φησὶ τὰς σχεδίας ἀφέντας αὐτοὺς μετὰ τῶν ὄπλων τὸ ἔκρηγμα διαβαίνειν ἄχρι μαστῶν βρεχομένους, διαβάς δὲ τῶν πεζῶν εἴκοσι σταδίους προίππευσαι, λογιζόμενος, εἰ μὲν οἱ πολέμιοι τοῖς ἵπποις προσβάλοιεν, πολὺ κρατήσειν, εἰ δὲ κινοῖεν τὴν φάλαγγα, φθῆσεσθαι τοὺς πεζοὺς αὐτῷ προσγενομένους, θάτερον δὲ συμβῆναι. Τῶν γὰρ ἵππέων χιλίους καὶ τῶν ἄρμάτων ἐξήκοντα συμπεσόντα τρεψάμενος τὰ μὲν ἄρματα λαβεῖν ἅπαντα, τῶν δὲ ἵππέων ἀνελεῖν τετρακοσίους.

l. l. falso urbis direptionem in historias suas receperunt. Etiam Ranke III 2 p. 80 sq. ea, quae Diodorus, alii de Thaide narrant, vera esse putat.

Οὕτω δὲ συμφρονήσαντα τὸν Πῶρον, ὡς αὐτὸς εἶη διαβεβηκῶς Ἀλέξανδρος, ἐπιέναι μετὰ πάσης τῆς δυνάμεως, πλὴν ἕσον ἐμποδῶν εἶναι τοῖς διαβαίνουσι τῶν Μακεδόνων ἀπέλιπε, φοβηθεῖς δὲ τὰ θηρία καὶ τὸ πλῆθος τῶν πολεμίων αὐτὸς μὲν ἐνσεῖσαι κατὰ θάτερον κέρας, Κοῖνον δὲ τῷ δεξιῷ προσβαλεῖν κελεῦσαι. Γενομένης δὲ τροπῆς ἐκατέρωθεν ἀναχωρεῖν αἰετὸς πρὸς τὰ θηρία καὶ συνειλεῖσθαι τοὺς ἐκβιαζομένους. Ὅθεν ἤδη τὴν μάχην ἀναμειγμένην εἶναι καὶ μόλις ὀγδόης ὥρας ἀπειπεῖν τοὺς πολεμίους. Ταῦτα μὲν οὖν ὁ τῆς μάχης ποιητῆς αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς εἶρηκεν. Cf. Arr. V 9 sq.; Diod. XVII 87 sq.; Curt. VIII 13, 5 sq.; Polyæn. IV 3, 9 et 22. Lezius p. 33 sq. et p. 96 sq. (app. XVI—XIX).

Alexandri epistula de pugna cum Poro facta prorsus fore congruit cum Arriano, qui in proelio illo describendo Ptolemaeum omnino secutus est. Quamquam congruentia illa permultum epistulae fidei favet, tamen Kaerst p. 111 sq. de fide eius valde dubitavit, quin etiam eam secundum Ptolemaei relationem fictam esse censet. Sed argumenta, quae adfert, nullius sunt momenti. Ac primum quidem dicit, Plutarchum cum Arriano de militum numero, quos Pori filius secum duxerit, discrepare (Plutarchus enim sexaginta currus et mille equites Pori filio fuisse tradit, Ptolemaeus autem duo milia equitum et centum viginti currus fuisse adfirmat); Ptolemaeum, qui ipse proelio interfuisset, omnia optime cognita habere potuisse, neque numeros illos, si epistulam Alexandri notam habuisset, contra ipsum regis testimonium commemoraturum fuisse. Ptolemaeum secuti sunt Koechly - Ruestow, Droysen, Thirlwall, H. Droysen; Lezius, alii rem in medio reliquerunt¹⁾. Sed haec Kaerstii argumentatio epistulae fidei

1) W. Rüstow — H. Köchly, Gesch. d. gr. Krwesens, Aarau 1852 p. 301; Droysen, I 2 p. 134 et n. 1; Thirlwall VII p. 20; H. Droysen, Heerwesen u. Krführung d. Gr., Freiburg 1889 (Hermann, Lehrbuch d. gr. Ant. II) p. 127; Lezius p. 96. Miram inconstantiam invenimus apud Chr. Lassen, Indische Altkunde Lpz. 1874; p. 156 n. 4 enim dicit: „Plutarch führt Alexanders eigenen Brief als seine Quelle an, es verdient daher seine Angabe den Vorzug“, p. 157 autem in textum, qui dicitur, Ptolemaei relationem recepit.

non modo non repugnat, sed etiam ad eam firmandam valet. Jam Hansen p. 275 iure dixit Porum scire non potuisse Alexandrum cum tanto exercitu transiisse; falsarium vix, ut regis gloriam imminueret, numerum ad dimidium redacturum fuisse. Accedit quod Aristobulus¹⁾ quoque tradidit Pori filium sexaginta currus secum duxisse; num omnino verisimile est etiam Aristobulum regis gloriae obtrectare voluisse? Multo mea quidem sententia verisimilius est Ptolemaeum ad maiorem regis gloriam numerum auxisse, cum iam supra (p. 65 sq.) similia invenerimus. Itaque equidem epistulae plus fidei habendum esse puto, quam Ptolemaeo, atque numeros illos in historiam receperim²⁾. Altera Kaerstii causa aequae inutilis est. Plutarchus³⁾ tradit Alexandrum elephantos atque hostium multitudinem metuentem in laevum Pori cornu impetum fecisse. Kaerst Ptolemaei relationem multo magis in natura rei positam et meditatam esse dicit: Alexandrum sane etiam apud Arrianum elephantos respexisse et laevum cornu adgressum esse, sed hoc fecisse eum ut qui equitatu superior esset; voluisse enim equitatum avertere atque tum demum in mediam Indorum aciem impetum facere, verba Plutarchi φοβηθεῖς . . . τὸ πλῆθος τῶν πολεμίων orta esse ex Ptolemaei verbis πυκνή ἢ φάλαγξ κατὰ τὰ διαλείποντα αὐτῶν ἐπετέτακτο non satis intellectis. Equidem hanc Kaerstii argumen-

1) Cf. Arr. V 14, 3. Quot equites Aristobulus commemoraverit, nescimus: ex Arr. V 14, 5 colligi posse videtur eum de equitibus omnino non esse locutum, sed optime fieri potest, ut Arrianus eos commemorare oblitus sit; certe Droysen l. l. valde erravit, cum Aristobulum quoque mille equites commemorasse diceret.

2) Rectissime Th. Benfey, Indien p. 49 (Ersch u. Gruber, Allg. Enc. II Sect. 17 Lpz. 1840) Plutarchi memoriam recepit et de Ptolemaeo dixit: „dadurch, dass er seine Erzählung mit einem Raisonement unterstützt, giebt er übrigens die Unsicherheit derselben zu und wir werden wohl Alexander selbst eher Glauben schenken dürfen, welcher nur 60 Wagen und 1000 Reiter angab. Porus glaubte ohne Zweifel, es sei nur ein kleines Geschwader übersetzt etc.“

3) φοβηθεῖς δὲ τὰ θηρία καὶ τὸ πλῆθος τῶν πολεμίων αὐτὸς μὲν ἐνσίσαι κατὰ θάτερον κέρασ κτλ.

tationem prorsus falsam esse puto¹⁾: non enim oblivisci debemus Plutarchum Alexandri epistolam non ad verbum exscripsisse, sed suis verbis, quae Alexander scripserat, rettulisse, quod vel ex oratione, quae dicitur, indirecta perspicuum est. Kaerst dicit, Ptolemaeum „in sehr sachgemässer Weise ein wesentliches Moment“ addidisse, „das erst die Taktik des Königs in die richtige Beleuchtung setzt“ i. e. ἄτε ἱπποκρατῶν. At hoc nihil novi esse quis non videt? Alexandri equitatus semper primum proelium committebat atque in laevum hostium cornu impetum faciebat. Novum est, Alexandrum pedites non prius manus conserere iussisse, quam equitatum phalangemque hostium a suis equitibus perturbatam viderent; talem autem pugnae rationem Alexander iniit praecipue propter metum elephantorum hostiumque multitudinis²⁾, quam causam etiam Plutarchus ex epistula adfert. Quod Kaerst dicit verba φοβηθεῖς . . . τὸ πλῆθος τῶν πολεμίων ex Ptolemaei verbis non satis intellectis orta esse, qua e re efficere vult epistolam secundum Ptolemaei memoriam esse fictam, prorsus errat mea quidem sententia. Primum verba illa ex Ptolemaei verbis orta esse nego; nam, ut taceam, optime fieri potuisse, ut causa pluribus verbis ab Alexandro adferretur, causa φοβηθεῖς τὸ πλῆθος τῶν πολεμίων satis probabilis et in natura rei posita („sachgemäss“) est: metuebat enim Alexander, ne perlonga Indorum acie cingeretur; nam eum ipsos densatos hostium ordines metuisse vix est credendum neque hoc ex Arriani verbis necessario sequi puto. Deinde epistula certe non est ficta secundum Ptolemaei memoriam. Sane, si rem omnem spectas, epistula cum Ptole-

1) Kaerstio iniuria assensus est Adler p. 23; argumenta quae praeterea ipse adfert „primum stulti fuisset transire ad parvam illam insulam hostium in conspectu sitam, tum apud Plutarchum de tempestate non ducem sed rhetorem verba facientem audimus“, ne refutatione quidem digna sunt.

2) Cf. Arr. V 16, 2: κατὰ μέσον μὲν, ἵνα οἱ ἐλέφαντες προεβέβληντο καὶ πυκνὴ ἢ φάλαγξ κατὰ τὰ διαλείποντα αὐτῶν ἐπετέτακτο, οὐκ ἔγνω προὔγειν, αὐτὰ ἐκεῖνα ὀκνήσας, ἄπερ ὁ Πῶρος τῶ λογισμῶ ξυνοθεῖς ταύτη ἔταξεν.

maei memoria satis congruit¹⁾, sed satis multae insunt differentiae atque res novae, quas neque Arrianus neque quisquam alius scriptor tradidit. Sic in epistula sola commemoratur Alexandrum cum equitibus flumine superato viginti stadia a peditibus processisse (*προϊππεύσαι*); Pori filium mille equites secum duxisse; Indos vix octava diei hora animos despondisse (*μόλις ὀγδόης ὥρας ἀπειπεῖν τοὺς πολεμικούς*); in flumine traiciendo nonnullos milites fulminibus ictos periisse; similia. Porro fluminis traiectio paullo aliter narratur itemque Alexandri deliberatio, cur flumine superato cum equitibus solis processerit, paullo alia est atque mea quidem sententia recior. Num omnino verisimile est falsarium haec omnia ipsum mutasse vel addidisse, curruum numerum ex Aristobulo, cetera ex nescio quo auctore sumpsisse? Minime; iniuria igitur Kaerst de epistula dixit: „in Wahrheit gewinnen wir doch ein eigentlich neues Moment aus demselben garnicht“. Congruentiae ex re ipsa explicantur: res ita erant gestae, quidni igitur ab Alexandro Ptolemaeoque similiter narratae esse possunt? Itaque nulla omnino causa est, cur de fide huius epistulae dubitemus. De reliquis scriptoribus, qui eandem rem tractant, cum, quae praebeant, nulli usui sint, hoc loco non agam; de iis cf. Lezium l. l. app. XIX p. 100 sq.

(66) 4. Plut. Alx. LXVI. ἐμβαλὼν δὲ ταῖς ναυσὶν εἰς τὸν Ὠκεανὸν ἀνέπλευσε πρὸς νῆσον, ἣν Σκιλλοῦστιν αὐτὸς ὠνόμασεν, ἕτεροι δὲ Ψιλτοῦκιν κτλ.

Plutarchus narrat Alexandrum ad ostium Indi fluminis visendum profectum esse atque ad insulam in medio alveo sitam venisse, quam ipse Scillustin nominaret, alii Psiltucin. Simile atque apud Plutarchum nomen invenimus apud Arrianum VI 19, 3, qui insulae nomen Κιλλουτά fuisse tradit. Quatenam nominis forma vera sit ex lingua Sanscritica discimus²⁾. L. de Schroeder, Sanscritista optimus, quem equidem

1) Plutarchum et Arrianum etiam in verbis congruere, quod Kaerst contendit, equidem non invenio.

2) Benfey, l. l. p. 78 et Lassen II p. 193 satis habuerunt varias nominis formas enumerare. Droysen I 2 p. 204 insulam Scillutam

de hac re consului, certe nominis formam a σκ incipientem esse principalem dixit, nam, ni ita esset, vix intellegi posse, cur Graeci nomini litteram σ anteponerent; σκ autem saepissime pro Sanscritica littera ca positum esse, quam Graeci aliter transscribere vix potuerint. Sanscriticam nominis formam fortasse fuisse cirothta = „lange bestehend, seit lange entstanden“, sed hoc nihil esse nisi meram coniecturam ipse libenter concessit. Schroederi coniectura ipsa per se satis verisimilis splendidissime eo confirmatur, quod etiam nunc exstat insula, cui Carrô nomen est, quod optime ex cirothta ortum esse potest: cf. Tomaschek, Topographische Erläuterung der Küstenfahrt Nearchs p. 8, Sitzber. d. Wiener Acad. CXXI (1890), quae disputatio Schroedero non erat nota, cum coniecturam illam fecit. Quae dixi optime epistulae fidei favent neque est, cur dubitemus, num Alexander in epistula de hac expeditione locutus sit.

(67) 5. Plin. nat. hist. VI 63: „ad Hypasin non ignobiliorem CCCLXXXX = |XXV| IIII qui fuit Alexandri itinerum terminus exuperato tamen amne arisque in adversa ripa dicatis. Epistulae quoque regis ipsius consentiunt his“.

Plinius ipse § 61 se ex Diogneto et Baetone, itinerum Alexandri mensoribus, memoriam suam habere profitetur, quare valde mirandum est et Lassenum et Droysenum¹⁾ dixisse, Plinium Megasthenis Indicis usum esse. Lassen adfert Schwanbeckium²⁾, quem hanc sententiam primum protulisse dicit, sed falso hunc errorem viro illi doctissimo imputavit: diserte enim Schwanbeck p. 16 Plinium ex Baetone et Diogneto spatia a portis Caspiis usque ad Hypasin enumerasse dixit et sequentia tantum a verbis: „reliqua inde Seleuco Nicatori peragrata sunt etc.“ §§ 63 — 80 maximam partem ex

appellat, sed mediam sequi viam tali in re vix licet. Diod. XVII 104, 1 nihil nisi duas insulas Alexandrum vidisse tradit: δύο νήσους ἐνταῦθα κατιδών.

1) Lassen II p. 174 n.; Droysen I 2 p. 167 n. 1.

2) E. A. Schwanbeck, Megasthenis Indica, Bonn 1846 p. 17.

Megasthene sumpta esse verisimillime coniecit¹⁾; quod vel ex Schwanbeckii fragmentorum collectione videre potuit Lassen, cum Schwanbeck frg. LVI a § 63 incepisset. Ex optimo igitur fonte Plinius memoriam suam habet remque praeter Diogneti et Baetonis testimonium ipsius regis epistulis firmat. Nihilominus tamen praeter Cunninghamium²⁾ ne unus quidem vir doctus Plinii memoriam recepit, quin etiam nonnulli ne mentionem quidem eius fecerunt. Cunningham iure Plinium secutus est et satis verisimilem de loco, quo Alexander aras excitasset, protulit coniecturam³⁾: the site of Alexanders altars must be looked for along the line of the present course of the Satej, at a few miles below Hari-ki-patan, and not far from the well-known field of Sobraon, which is barely five miles distant from several bends of the old bed of the Satej. Quem locum in Sudracorum finibus fuisse Plinius XII 24 memoriae prodidit: „in Sydrakis, expeditionum Alexandri termino“. De re cf. Arr. V 24, 8 sq.; Diod. XVII 93; Curt. IX 1, 35 sq.; Plut. Alx. 62; Just. XII 8, 9 sq.; Strabo XV p. 697 sq.; Solinus 52, 7 (ex Plinio): Solinum compilavit

1) Cf. etiam Mueller. F. H. G. II p. 410, qui Schwanbeckio iure assensus est. Quamquam etiam iis in paragraphis pluribus auctoribus usus est Plinius.

2) A. Cunningham, The ancient geography of India, London 1871 p. 217 sq. (tab. V).

3) Etiam de Plinii verbis: „reliqua inde Seleuco Nicatori peragrata sunt, ad Sydrum CLXVIII, Iomanem amnem tantundem (aliqua exemplaria adiciunt V passuum)“ satis probabilis est Cunninghamii sententia. In hoc Plinii loco mendum inesse apparet, cum spatium inter Hypasin et Iomanem fere sit 168 milia passuum, atque quinque illa milia passuum, quae „aliqua exemplaria“ adiciebant, sit „the exact distance of the old bed of the Satej from the eastern bank of the Bias“. Cunningham unum omnino spatium a Plinii auctore allatum esse, i. e. a Hypasi ad Iomanem, atque nonnullos scriptores quinque illa milia passuum omisisse putat „as a matter of little importance“. Miror neque Droysenum I 2 p. 167 n. 1 neque Lezium p. 52 sq. huius Cunninghamii sententiae mentionem fecisse. Adnotaverim complures codices (C Detlefsen) pro „ad“ ante Sydrum „ab“ praebere atque mirum esse quod ante Iomanem praepositio desit; utrumque documento esse potest, hunc Plinii locum corruptela laborare.

Marc. Cap. 6, 694. De ratione, quae intercedat inter varios scriptores, non agam (cf. Lezium, l. l. app. XXVI—XXVIII p. 117 sq., qui uberrime de hac re verba fecit), cum ad Plinii locum explicandum nihil ex eo proficiatur. Curtii relatio fortasse non aliena est a Plinio, si Phegei regnum, quod per se fieri potest, inter Hypasin et Hesydrum fuisse sumimus. Causa, cur homines docti citra Hyphasin Alexandrum aras excitasse putent, est sine dubio, quod Arrianus talem prodidit memoriam, sed iniuria homines docti eum hac in re secuti sunt. Singularis est Grotii sententia XII 53 sq. qui flumen, quod hodie Satej appellatur, Hyphasin fuisse putat, Strabone sine dubio usus auctore, qui dicit: ὕστατος δ' Ὑπασιν; quamquam hanc Grotii sententiam minime probandam esse puto, tamen eo factum est, ut satis recte ararum locum statueret. Thirlwall VII 27 Alexandrum ad Hyphasim infra eum locum pervenisse putat, ubi cum Hesydro in unum committitur, sed recte Lassen, Droysen, Lezium huic sententiae oblocuti sunt. Cum Curtius et Diodorus ultra id flumen, ad quod Alexander pervenisset, vastitatem fuisse dicant atque vastitas illa ultra Hesydrum flumen sita sit, optimum hoc documentum esse puto, Plinii memoriam esse veram atque sine ulla dubitatione in textum, qui dicitur, eam receperim¹⁾. De epistulae fide non est dubitandum.

(68) 6. Plin. nat. hist. VI 51: „haustum ipsius maris (i. e. Caspii) dulcem esse et Alexander Magnus prodidit et M. Varro talem perlatum Pompeio iuxta res gerenti Mithridatico bello, magnitudine haut dubie influentium annium victo sale“. Ex Plinio sua habet Solinus 19, 3.

Alexandri testimonium Plinius sine dubio ex epistula Alexandri nescio ad quem data sumpsit, sed quantum ex ea sumpserit, num causa quoque dulcedinis, quam adfert Plinius, in Alexandri epistula perscripta fuerit, prorsus incertum est. Ceterum eandem dulcedinis causam de Ponto adfert Arrianus, περιπλους Εὐξείνου Πόντου VIII 3. Fortasse etiam ea, quae Plut.

1) Non recte etiam S. Lefmann, Gesch. d. alten Ind., Berlin 1890 p. 750 n. de hac Plinii memoria dubitavit.

Alx. 44¹⁾ perhibet, ex Alexandri epistula fluxerunt, sive Plutarchus ipse eam adhibuit sive ab alio auctore iam invenit hanc memoriam ex epistula allatam. Quod vero Alexander Caspium mare cum Maeotide palude confudit in eo non est offendendum: notum est Macedones Jaxarti Tanaim nomen, Caucasum Paropamisio indidisse, certe non, quo latius terrarum orbem domuisse viderentur, quam causam ineptam protulit Strabo XI p. 509, sed quia Caspium mare, Paropamisus Jaxartes similiter sita erant atque Pontus, Caucasus, Tanais, ita ut Macedones, qua erant in geographicis quasi adumbrata rerum intelligentia, optime errare possent: cf. etiam de re Curt. VI 4, 18; Arr. III 30, 7; Plin. VI 49; Solin. 49, 5.

(69) 7. Hesych. s. v. Ἀροπάνοι · οἱ ἐν Ἀλεξάνδρου ἐπιστολαῖς.

Ἀροπάνοι quid sint nescio.

(70) 8. Hesych. s. v. γητικά · παρὰ Ἀλεξάνδρῳ ἐπιστολαῖς ποτήρια οὕτω καλούμενα.

De glossa γητικά cf. p. 84.

(71) 9. Hesych. s. v. σκοῖδος · ἀρχή τις παρὰ Μακεδόσι τεταγμένη ἐπὶ τῶν δικαστηρίων. ἡ λέξις κεῖται ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς Ἀλεξάνδρου²⁾.

σκοῖδος varie interpretantur scriptores: Photius ed. Naber s. v. ταμίαις τις καὶ διοικητής, Μακεδονικὸν δὲ τοῦνομα, διόπερ Μένανδρος ἐν Κιθαριστῇ σκοῖδον Διόνυσον λέγει; Herodian. I 142, 6 σεσημείωται τὸ σκοῖδος παρὰ Μακεδόσιν οἰκονόμος; Arcad. p. 47, 28 τὸ κοῖδος (l. σκοῖδος) παρὰ Μακεδόσιν ὁ οἰκονόμος; Pollux X 16: Κρατῖνος δ' ἐν Πανόπταις τὸν σκευοφύλακα ἔοικε σκευωρὸν καλεῖν. τοῦτον δὲ καὶ σκοῖδόν τινες ὠνόμαζον, τὸν ἐπὶ τῶν σκευῶν, ἐν ταῖς βαρβαρικαῖς ἀποσκευαῖς. ἕτεροι δὲ οὕτως οἴονται κεκλήσθαι τὸν ἀπὸ τῶν σιτίων. Naber apud Hesychium pro Alexandro Menandrum

1) Plut. Alx. 44: πελάγους ἰδὼν κόλπον οὐκ ἐλάττονα μὲν τοῦ Πόντου φανέντα γλυκύτερον δὲ τῆς ἄλλης θαλάττης, σαφὲς μὲν οὐδὲν ἔσχε πυθέσθαι περὶ αὐτοῦ, μάλιστα δὲ εἶκασε τῆς Μαυριόδος λίμνης ἀνακοπήν εἶναι.

2) Droysen I 2 p. 405 etiam ταγονάγα ex epistulis Alexandri sumptum esse putat, sed unde hoc collegerit vir egregius non intellego.

ponere voluit, sed male; sane Alexander et Menander saepissime confunduntur, sed vocis interpretatio apud Photium et Hesychium prorsus differt. De verbi etymologia cf. Fick in Benfey, Orient und Occident p. 718 sq. et Kuhn's Ztschr. f. vgl. Spr. XXII p. 215. Pollux duas adfert interpretationes: ἐπὶ τῶν σκευῶν atque ἀπὸ τῶν σιτίων, reliqui omnes fere consentiunt: ταμίαις τις καὶ διοικητής, οἰκονόμος, quod τῷ ἀπὸ τῶν σιτίων satis respondet. Fortasse in Hesychii verbis ἐπὶ τῶν δικαστηρίων mendum latet, ita ut ἐπὶ τῶν σκευῶν scribendum sit; sed hoc pro certo non contenderim, variae enim interpretationes etiam alias inveniuntur, velut ἀζαραπατεῖς vocabulum Persicum et verbo χιλίαρχος et verbo οἰκονόμος, ἐπίτροπος explicatur: cf. Lagarde, Ges. Abh. p. 186. Si σκοῖδος re vera est vox Macedonica, sine dubio ex Ameriae libro est sumpta; cf. p. 13¹⁾.

Restat, ut verbo attingam epistulas, quas ne refutatione quidem dignas esse iam pridem inter homines doctos constat, quales sunt quae inveniuntur in Ps. Callisthene: ad Amazones III 25, 26; ad Aristotelem II 23, 43; III 17; ad Athenienses II 1. 2. 5; ad Candacen III 18; ad Cassandrum I 42; ad Dareum I 38, II 10; ad Lacedaemonios II 6; ad Olympiadem II 22. 23. 43. III 27. 30. 33.; ad Polycratem Thessalonicensem I 26; ad Porum III 2; πρόσταγμα ad Persas II 21; ad satrapas II 11; ad Roxanen II 22; ad Statiram et Rodogunam II 22; ad Statiram, Rodogunam, Roxanen II 22.

1) Erunt fortasse, qui etiam Maer. Sat. I 18, 11 ex Alexandri epistulis sumptum esse putent. Scriptum enim ibi est: „item in Thracia eundem haberi solem atque Liberum accipimus, quem illi Sebadium nuncupantes magna religione celebrant, ut Alexander scribit: eique deo in colle Zilmisso aedes dicata est specie rotunda, cuius mediam inter patet tectum“. Sed homines docti iam pridem recte viderunt hunc Alexandrum non esse Alexandrum Magnum, immo Alexandrum Polyhistorem, quare hic locus omittendus est.

Praeterea commemoranda est epistula Alexandri de situ Indiae, de qua cf. Zacher; Pskall. p. 103 sq.; Berger de Xivrey, Traditions teratologigues, Paris 1836 p. 309 et p. 331 sq.; R. Sabbadini, Rivista di filologia XV (1887) p. 534 sq.; aliae velut Collectio Salernitana, Neapel 1854 III p. 119 sq. etc. Eas „partim ex antiquioribus exemplis expressas, partim primum effictas omnisque generis ineptiis liberaliter instructas Alexandro subdidit aetas infima, fabularum inventrix fertilissima“ (Westermann II p. 10)¹⁾.

Haec sunt, quae de Alexandri epistulis mihi dicenda videbantur. Jam vero, ut erat propositum, ad epistulas, quas Alexander acceperit, adeamus.

1) Fictarum epistularum Alexandri collectionem medio aevo exstitisse discimus ex Kadłubkone, histor. Polon. in Długossii, hist. Polon. Lpz. 1712 II p. 614 (liber epistularum Alexandri ducentas paene continens epistulas?), quo e libro unam Alexandri ad Aristotelem et Aristotelis responsum adfert, de quibus cf. Gutschmid, Fl. Jhb. Suppl. II p. 247 sq.

II. Epistulae ad Alexandrum Magnum scriptae.

1. Epistulae ducum.

a) Attali.

(72) 1. Diod. XVII 5, 1: μετὰ γὰρ τὴν Φιλίππου τελευτὴν Ἄτταλος τὸ μὲν πρῶτον ἐπεχείρει νεωτερίζειν καὶ πρὸς Ἀθηναίους συνετίθετο κοινοπραγίαν κατ' Ἀλεξάνδρου (cf. Diod. XVII 2, 4 sq.; 3, 2), ὕστερον δὲ μετανοήσας τὴν μὲν ἀποδοθεῖσαν αὐτῷ παρὰ Δημοσθένους ἐπιστολὴν τηρήσας ἀπέστειλε πρὸς Ἀλέξανδρον, καὶ λόγοις φιλανθρώποις ἐπειρᾶτο τὰς καθ' ἑαυτοῦ διαβολὰς ἀποτρέψασθαι.

Quod Diodorus tradit, aliunde non est notum, sed res minime est dubia atque iure omnes, quod sciam, homines docti eam in historias suas receperunt. Iniuria Grote XI p. 337 n. 3 de Demosthenis ad Attalum epistula dubitavit eamque Charidemo tribuere voluit. Droysen I 1 p. 106 scribit: „um diese Zeit kamen Boten des Attalos nach Pella, welche die Gerüchte, die über ihn verbreitet seien, Verläumdung nannten, in schön klingenden Worten seine Ergebenheit versicherten etc.“ Mihi quidem multo verisimilius videtur Attalum epistulam Alexandro misisse: Diodori verba id ipsum indicant.

b) Antipatri.

(73) 1. Just. XII 1, 4: „Dum haec aguntur, epistulae Antipatri a Macedonia ei redduntur, quibus bellum Agidis, regis Spartanorum, in Graecia, bellum Alexandri, regis Epiri,

in Italia, bellum Zopyrionis, praefecti ipsius, in Scythia continebatur. Quibus varie adfectus plus tamen laetitiae cognitis mortibus duorum aemulorum regum quam doloris amissi cum Zopyrione exercitus cepit⁴.

Cf. etiam Curt. X 1, 43, qui falso Alexandrum post expeditionem Indicam epistulam accepisse dicit¹). Justinus recte in Parthia Alexandro Antipatri epistulam allatam esse tradit²). De rebus in Europa gestis cf. Droysen I 1 p. 392 sq.; Schaefer, Dem. III p. 200; Thirlwall VI p. 254 sq.; Diod. XVII 62 et 73; Just. XII 1, 4 sq.; Curt. VI 1 sq.; Frontin, strat. II 11, 4; Polyæn. IV 4, 1. Ceterum erraverunt Schaefer p. 200 n. 1 et Droysen p. 395 n. 1, cum Plutarchi memoriam Alx. 50, 3 ἤδετο ποιήματα . . . εἰς τοὺς στρατηγούς πεποιημένα τοὺς ἔναγχος ἡττημένους ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἐπ' αἰσχύνῃ καὶ γέλωτι κτλ. ad Zopyrionis Corragique clades referrent: referenda enim est memoria illa ad Andromachi, Carani, Menedemi cladem apud Maracandam a. 329 (Arr. IV 6); nam cum initio anni 328 convivium illud fuerit, in quo Clitus occisus est, optime se habent verba τοὺς ἔναγχος ἡττημένους.

(24) 2. Curt. X 2, 2 sq.: rex Harpalo Atheniensibusque iuxta infestus classem parari iubet Athenas protinus peti-

1) Curtius etiam aliis in rebus falsam praebet memoriam: sic verbi causa VI 1, 21 pugnam apud Megalopolim ante pugnam apud Arbela factam esse dicit, quod manifesto cum Arriano III 16, 10 pugnat, qui Alexandrum Susis tria milia talentum ad bellum Peloponnesiacum misisse tradit.

2) De epistula Antipatri omnino dubitavit Fraenkel in fine libri „d. Quellen d. Alxhist. etc.“ Dicit enim pugnam apud Megalopolim vix uno mense ante Darei mortem factam esse neque tam celeriter nuntium de Agidis clade ad Alexandrum pervenire potuisse. Sed Fraenkelii argumenta, cur ita censeat, equidem probabilia non esse puto: nam primum prorsus nescimus, quanta celeritate Alexandri temporibus epistulae ferri potuerint; deinde accuratius definire non possumus, quando pugna apud Megalopolim facta fuerit: nihil nisi aestate anni 330 eam fuisse dicere possumus; denique Alexander bis in Parthia erat. Quare quin Justini memoria Alexandrum in Parthia Antipatri epistulam accepisse vera sit nullus dubito.

turus. Quod consilium clam agitantis litterae redduntur, Harpalum intrasse quidem Athenas ac pecunia conciliasse sibi principum animos: mox concilio plebis habito iussum urbe excedere ad Graecos milites pervenisse, quibus interceptum trucidatum a quodam Thimbrone per insidias (Zumpt: quibus in Cretam traiectis a quodam Thimbrone interemptum per insidias). Cf. Diod. XVII 108.

De re cf. Schaefer, III p. 311 sq.; Droysen I 2 p. 282. Antipatrum tales de rebus in Europa gestis ad Alexandrum epistulas scripsisse non est quod demonstratur; Curtio sane epistulae praesto non erant, immo ex auctore suo memoriam illam sumpsit.

(25) 3. Arr. VII 12, 6: ἐπεὶ οὐδὲν ἐπαύοντο Ἀλεξάνδρῳ γράφοντες ὁ μὲν (sc. Antipater) τὴν αὐθάδειάν τε τῆς Ὀλυμπιάδος καὶ θεύτητα καὶ πολυπραγμοσύνην, ἥμιστα δὲ τῆ Ἀλεξάνδρου μητρὶ εὐσχήμονα

Antipatrum et Olympiadem inter se dissesisse et alterum alteram apud Alexandrum per epistulas criminatos esse tradunt Arr. I. I., Diod. XVII 118¹), Plut. Alx. 39, 5. Arrianus sine dubio Aristobulo usus est auctore, Plutarchi autem memoria mea quidem sententia a Charete est repetenda. Initio Alexander Olympiadis criminationes neglegebat, quare Olympias se in Epirum contulit: cf. Diod. I. I. διὰ τὸ μὴ προσδέχεσθαι τὸν Ἀλέξανδρον τὰς κατ' αὐτοῦ διαβολάς; Plut. I. I.: τῇ δὲ μητρὶ πολλὰ μὲν ἔδωρειτο καὶ κατέπεμπεν, οὐκ εἶα δὲ πολυπραγμονεῖν οὐδὲ παραστρατηγεῖν, ἐγκαλοῦσης δὲ πρῶως ἔφερε τὴν χαλεπότητα. Πλὴν ἅπαξ ποτὲ μακρὰν Ἀντιπάτρου κατ' αὐτῆς γράψαντος ἐπιστολὴν ἀναγνοὺς ἀγνοεῖν εἶπεν Ἀντίπατρον, ὅτι μυρίας ἐπιστολάς ἐν δάκρυον ἀπαλείφει μητρός; [cf. Flor. Mon. 157 (Stob. ed Mein., IV p. 279)]. Sed postea Antipatro diffidere coepit atque hac de causa sine dubio Craterum in Macedoniam misit, ut Antipatri loco Macedoniam Graeciamque administraret; cf. Arr. VII 12, 5; Schneider, Olymp. p. 15; Droysen,

1) Ps.-Call. III 31 satis cum Diodoro congruit atque nonnullas satis bonas habet sententias.

I 2 p. 267¹⁾; Schaefer, III p. 199 et p. 353. Veneficii crimen, quod postea Antipatro obieciabant, sine dubio ab Olympiade ortum est.

c) Parmenionis.

(26) 1. Athen. XIII 607¹ 608^a: ἐσπουδάκεσαν δὲ καὶ οἱ βασιλεῖς περὶ τὰς μουσουργούς, ὡς δῆλον ποιεῖ Παρμενίων ἐν τῇ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολῇ, ἣν ἐπέστειλεν αὐτῷ μετὰ τὸ Δαμασκὸν ἐλεῖν καὶ τῆς ἀποσκευῆς τῆς Δαρείου ἐγκρατῆς γενέσθαι. καταριθμησάμενος οὖν τὰ αἰχμάλωτα γράφει καὶ ταῦτα „παλλακίδας εὗρον μουσουργούς τοῦ βασιλέως τριακοσίας εἴκοσιν ἑννέα, ἀνδρας στεφανοπλόκους ἕξ καὶ τεσσαράκοντα, ὄψοποιούς διακοσίους ἑβδομήκοντα ἑπτὰ, χυτρεψούς εἴκοσιν ἑννέα, γαλακουργούς τρισκαίδεκα, ποτηματοποιούς ἑπτακαίδεκα, οἰνοθητῆς ἑβδομήκοντα, μυροποιούς τεσσαράκοντα. Ex eadem epistula Athenaeum sumpsisse puto fragmentum XI 781¹ 782^a: ὅτι Παρμενίων συγκεφαλαιούμενος ἐν ταῖς πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολαῖς τὰ περσικὰ λάφυρα „ποτηρίων“, φησί, „χρυσῶν σταθμῶν τάλαντα Βαβυλώνια ογ’ μναῖ νβ’. ποτηρίων λιθοκολλήτων σταθμῶν τάλαντα Βαβυλώνια νβ’, μναῖ λδ’“.

Recte Grote XI p. 453 et Thirlwall VI p. 186 epistulam veram esse dixerunt, non enim video, cur de fide eius sit dubitandum (Westermann, VI p. 10: „ferebantur“ ep.; Droysen I 1 p. 276 n.: „wenn man das Fragment aus Parmenios Bericht an Alexander für ächt halten dürfte“). Etiam aliunde scimus pecuniam reliquumque regium apparatus a Parmenione Damascum misso capta esse (Arr. II 11, 10; 15, 1; Curt. III 13; Diod. XVII 32, 3; Polyæn. IV 5) atque Parmenionem per epistulam Alexandrum certiolem fecisse de praeda a se capta, quis est quin credat; falsarium tam ieiunum indicem finxisse persuadere mihi vix possum: in epistula

1) Droysen, qui l. l. Arriani memoriam in textum recepit, p. 463 perperam Arrianum epistulas illas (VII 12, 5) Olympiadis et Antipatri ut λεγόμενα commemorare dixit. De epistulis enim Arrianus oratione directa loquitur, non obliqua, quod si de fide epistularum dubitasset, certe fecisset. Hoc recte vidit etiam Adler p. 13.

certe nihil inest quod suspicionem moveat. Ceterum plures Parmenionis epistulas vel potius epistularum collectionem Athenaeo praesto fuisse suspicari licet ex verbis ἐν ταῖς πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολαῖς.

(27) 2. Plut. Alx. 19, 2: ἐν τούτῳ δὲ Παρμενίων ἐπεμψεν ἐπιστολὴν ἀπὸ στρατοπέδου διακελευόμενος αὐτῷ φυλάξασθαι τὸν Φίλιππον ὡς ὑπὸ Δαρείου πεπεισμένον ἐπὶ δωρεαῖς μεγάλας καὶ γάμῳ θυγατρὸς ἀνελεῖν Ἀλέξανδρον. Ὁ δὲ τὴν ἐπιστολὴν ἀναγνούς καὶ μηδενὶ δεῖξας τῶν φίλων ὑπὸ τὸ προσκεφάλαιον ὑπέθηκεν.

De morbo quo Alexander Tarsi oppressus est cf. Plut. Alx. 19; Just. XI 8, 3 sq.; Curt. III 5, 1 sq.; VI 10, 34; Val. Max. III 8 ext. 6 et epit. Par. III 8 ext. 6; itin. Alxi. 28 sq.; Pscall. II 8; II 25¹⁾; Sen. de ira II 23, 3; Zon. IV 9; Diod. XVII 31; Crohn, Diss. Arg. VII (1882) p. 28 sq. De Parmenionis epistula non dubitaverunt Droysen I 1 p. 248, Grote XI p. 437, Holm III p. 371; sed iure Flathe I p. 298, Thirlwall VI p. 174, Ruehl, Alexandros und sein Arzt Philippos, Fl. Jhb. CXXIII (1881) p. 361 sq. eam fictam esse dixerunt. De epistula Parmenionis omnes quos enumeravi scriptores praeter Diodorum tradiderunt, sed quamquam, si rem omnem spectas, satis inter se congruunt, tamen singulis in rebus satis multae insunt differentiae, quae memoriae fidei non favent; cf. Ruehlium et Crohnum. Accedunt aliae difficultates. Primum undenam terrarum scripsit Parmenio? Ex Arr. II 5, 1 et Curt. III 4, 15 scimus eum Tarsi fuisse. Arrianus, Curtius, Pseudocallisthenes, itinerarium, Valerius nihil de loco, unde epistulam miserit Parmenio, tradunt, Plutarchus ἀπὸ στρατοπέδου, Justinus a Cappadocia eum scripsisse narrant. Plutarchi verba ἀπὸ στρατοπέδου fiunt perspicua, si Valerii memoriam spectamus: narrat enim Valerius Alexandrum in urbem castris propinquam translatum esse.

1) Ps.-Callisthenis memoria II 8 non inferior est aliorum scriptorum relationibus, sine excepto de Parmenionis supplicio; contra II 25 nihil est nisi exemplum alterum idque pessimum: similis enim ibi de Aegyptiis exstat relatio atque II 8 de Parmenione.

At tum iure cum Thirlwallio quaesiveris: qua de causa Parmenio non ipse venit, sed epistulam misit? Memoria illa Plutarchi et Justinii nihil est nisi mera coniectura atque nihili facienda. Deinde non omnes scriptores Parmenionem epistulam illam scripsisse tradunt, Seneca matrem, Valerii epitomator, qui dicitur, Antipatrum, Pseudocallisthenes (II 25) Aegyptios pro Parmenione nominant. Equidem puto Thirlwallium et Ruehlium rectissime suspicatos esse relationes de Philippo et de Alexandro Lyncesta confusas esse. De Alexandro Lyncesta Diod. XVII 32, 1 haec tradit: ἡ δὲ μήτηρ τοῦ βασιλέως ἔγραψε πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον τὰ τε ἄλλα τῶν χρησίμων καὶ διότι φυλάξασθαι προσήκει τὸν Λυγκηστὴν Ἀλέξανδρον¹⁾ . . . πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων εὐλόγων συνδραμόντων πρὸς ταύτην τὴν διαβολὴν συλληφθεὶς καὶ δεθεὶς εἰς φυλακὴν παρεδόθη. Arr. I 25 narrat de Alexandri, Aepopi filii, insidiis regem a Parmenione Phaselide certiore factum esse; intercepisse enim Parmenionem Sisinem quendam a Dareo ad Alexandrum Lyncestam missum, ut ei fidem faceret, si regem Alexandrum interficeret, Macedoniae regnum et mille insuper auri talenta Dareum illi daturum; cf. Just. XI 7, 1. Ruehl recte dixit de Olympiadis delatione non esse dubitandum: Alexander, Aepopi filius, Antipatri erat gener atque verisimilimum est Olympiadem, qua erat simultate in Antipatrum, etiam propinquos eius per epistulas criminatam esse. Sed iniuria Ruehl de iis quae Arrianus narrat dubitavit, utrumque enim optime ita se habere potest. Diodorus quoque addit πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων εὐλόγων συνδραμόντων, quae quin ea quae Arrianus refert fuerint non est dubium. Quod Diodorus, postquam Alexander Tarsi in morbum gravem incidit, de Olympiadis epistula narrat, ex eo non necessarie conficitur Alexandrum tum demum epistulam illam accepisse. Inter relationes de Philippo et Alexandro Lyncesta nonnullae insunt congruentiae, quas omnes adferre nolo, ne longus fiam. Exempli

1) Adler p. 20 falso de his Olympiadis litteris dixit: „quas cum ad Olympiadis calumnias pertineant, ad fabellas reiciamus“; epistula minime est dubia.

causa adfero praemia a Dareo proposita valde esse similia. Philippo Dareum promississe tradunt Arrianus, Justinus, Valerius Maximus nihil nisi χρήματα, ingentem pecuniam vel pecuniam, contra reliqui omnes plura adferunt:

Plut: filiam atque δωρεὰι μεγάλαι,

Curt: sororem atque mille talenta,

Pscall. II 8: sororem atque κοινωνία βασιλείας.

Alexandro Lyncestae Dareus, ut Arrianus narrat, pollicitus est Macedoniae regnum (= κοινωνία βασιλείας) et mille talenta. En vides similitudinem. Itaque narratiuncula illa de Parmenionis epistula in relatione de Philippo ut ficta reicienda est. Optime se habet Diodori memoria, qui sane sobrieque narrat Alexandrum in gravem morbum incidisse atque a Philippo Acarnane medico morbo servatum esse. Rectissime Ruehl de reliquis relationibus dicit: „es bricht ihnen schon den Hals, dass sie alle mit der Erzählung von dem Bade im Cydnus verbunden sind, das durch die Angaben Aristobuls ausgeschlossen wird.“

d) Philotae.

(78) 1. Curt. VI 9, 18 cf. VI 10, 26. De re cf. supra p. 94 sq.

e) Ptolemaei et Asandri.

(79) 1. Arr. II 5, 7: „ἐπανῆκεν (sc. Alexander) ἐς τοὺς Σόλους . καὶ ἐνταῦθα μανθάνει Πτολεμαῖον καὶ Ἀσανδρον ὅτι ἐκράτησαν Ὀροντοβάτου τοῦ Πέρσου . . . τούτων ἠττήσθαι ἔγραφον μάχη μεγάλη . καὶ ἀποθανεῖν μὲν τῶν ἀμφ' αὐτὸν πεζοὺς ἐς ἑπτακοσίους καὶ ἵππεας ἐς πενήκοντα, ἀλώ- ναι δὲ οὐκ ἐλάττους τῶν χιλίων.

Nomen satrapae Othontopatem fuisse Droysen I 1 p. 210 n. 2 ex nummis recte collegit. Ptolemaeus et Asander ab Alexandro Halicarnassi relictii, ut urbem in obsidione haberent, qui n de victoria sua regem certiore fecerint non est dubium. Memoriam suam Arrianus sine dubio sumpsit ex Ptolemaeo: puto enim Ptolemaeum eum, qui hoc loco commemoratur, notum illum Lagi filium fuisse; iniuria mea quidem sententia

Droysen l. 1. p. 217 n. 2 alium Ptolemaeum statuere vult¹⁾. Idem Ptolemaeus in pugna apud Issum facta ilae praepositus erat (Arr. II 8, 4); quod Arrianus patris nomen omisit nullius momenti est.

f) Philoxeni.

(80) 1. Plut. Alx. XXII 1. ἐπεὶ δὲ Φιλόξενος ὁ τῶν ἐπὶ θαλάττης στρατηγὸς ἔγραψεν εἶναι παρ' αὐτῷ Θεόδωρόν τινα Ταραντῖνον ἔχοντα παῖδας ὠνίους δύο τὴν ὄψιν ὑπερφυεῖς καὶ πυνθανόμενος εἰ πρίηται κτλ.

Cf. supra p. 76.

(81) 2. Arr. III 16, 6: αὐτὸς δὲ ἐπὶ Σούσων ἐστέλλετο καὶ ἐντυγχάνει αὐτῷ κατὰ τὴν ὁδὸν ὃ τε παῖς τοῦ Σουσίων σατράπου καὶ παρὰ Φιλοξένου ἐπιστολεύς. Φιλόξενον γὰρ εὐθύς ἐκ τῆς μάχης ἐπὶ Σούσων ἐστάλει Ἀλέξανδρος. τῇ δὲ ἐπιστολῇ τῇ παρὰ Φιλοξένου ἐνεγέγραπτο ὅτι τὴν τε πόλιν οἱ Σούσιοι παραδεδώκασι καὶ τὰ χρήματα πάντα σῶά ἐστιν Ἀλεξάνδρῳ. Cf. Diod. XVII 64; Curt. V 2, 8.

Diodorus et Curtius tradunt nonnullos scriptores narrasse Abuletum, Susorum satrapam, urbem gazamque Darei iussu tradidisse, ut Alexandrum praeda retineret; id quod vix credendum est. Res ipsa minime est dubia atque Philoxenum de expeditione sua ad Alexandrum epistolam misisse quis est quin credat.

g) Hagnonis.

(82) 1. Plut. Alx. XXII 1. Cf. supra p. 76.

h) Leonnati. i) Crateri.

(83) 1. Curt. IX 10, 19: hic (sc. in Gedrosia) Leonnati litteras accepit conflixisse ipsum cum VIII milibus pedum et CCC equitibus Oritarum prospero eventu. A Cratero quoque nuntius venit Ozinen et Zariaspen, nobiles Persas, defectionem molientes oppressos a se in vinculis esse.

1) Droysenio falso assensus est Adler p. 12.

Leonnatus ab Alexandro in Oritarum finibus relictus erat καὶ τὸ τε ναυτικὸν ὑπομένειν ἔστ' ἂν περιπλεύσῃ τὴν χώραν καὶ τὴν πόλιν ξυνοικίσειν καὶ τὰ κατὰ τοὺς Ὁρείτας κοσμεῖν (Arr. VI 22, 3); post Alexandri discessum apud Cocala magno proelio Oritas aliosque barbaros Oritarum vicinos vicit, quam ob victoriam postea ab Alexandro corona aurea donatus est: cf. Arr. Ind. 23, 5; 42, 9; Arr. An. VII 5, 5; Diod. XVII 105, 8. Leonnatum de hac victoria Alexandrum per epistolam certiore fecisse maxime est verisimile, sed dicere non possumus, num ea, quae de proelio Curtius narrat, vera sint; fieri potest, ut res se ita habeat, cum Arrianus (Ind. 23, 5) quoque tradat sex milia hostium ducesque eorum omnes caesos esse, ita ut Curtii numeri non nimis magni sint. Contra quae de Cratero tradit Curtius fide non sunt digna; equidem non dubito, quin nomina Ozines¹⁾ et Zariaspes nihil aliud sint nisi Ὁρξίνης et Βαρυάξης, nam Curtium persaepe nomina immutasse quis est quin sciat. Si sententia mea vera est, duplex mendum apud Curtium statuendum est. Primum Ὁρξίνην confudit cum Ordane, quem a Cratero ad Alexandrum ductum esse tradit Arr. VI 27, 3, quod defectionem molitus esset; de Ordane sane Craterus scribere potuit. Etiam nunc intellegi potest, quomodo confusio illa orta sit: Orxines Phrasaorte, satrapa Persidis, mortuo ipse satrapeam suscepit ὅτι οὐκ ἀπηξίωσεν αὐτὸν ἐν κόσμῳ Πέρσας διαφυλάξαι Ἀλεξάνδρῳ, οὐκ ὄντος ἄλλου ἄρχοντος (Arr. VI 29, 2); quod cum Curtius fortasse non recte intellexisset Orxinem cum Ordane, qui re vera defectionem molitus erat, confudit. Ozinis nomen falsum esse vel ex eo perspicuum est, quod X 1, 22 sq. Curtius ipse de Orsinis supplicio narrat atque Ozines, Orsines, Orzines idem esse nomen quis non videt. Deinde si coniectura mea Zariaspen et Βαρυάξην idem esse nomen vera est, erravit Curtius, cum Baryaxem a Cratero captum esse diceret. Arr. VI 29, 3 enim tradit Baryaxem, quod Persarum atque Medorum regem se appellasset, ab Atropate, Mediae satrapa, captum atque ad Alexandrum ductum esse. Si re

1) Nonnulli codices Orzines praebent.

vera Craterus Baryaxem cepisset sine dubio ipse eum, sicut Ordanem, ad Alexandrum duxisset neque Atropatae ducendum permisisset. Curtii negligentia sine dubio factum est, ut utrumque Cratero tribueretur.

k) Cleomenis.

(84) 1. Athen. IX 393^c: τῶν δὲ καλουμένων XENNIΩΝ (μικρὸν δ' ἐστὶν ὀρτύγιον) μνημονεύει Κλεομένης ἐν τῇ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολῇ γράφων οὕτως· „φαληρίδας ταριχηρὰς μυρίας, τυλάδας πεντακισχιλίας, χέννια ταριχηρὰ μύρια“.

Epistula est Cleomenis, Aegypti praefecti, atque indicem videtur continuisse ciborum delicatiorum ad epulandum exquisitissimorum, quos Cleomenes ad Alexandrum misit, ex quibus Athenaeus tria avium genera recenset. De huius fragmenti fide equidem non dubito, quamquam veritas demonstrari non potest.

l) Cratetis Chalcidensis.

(85) 1. Strabo IX 407: πάλιν δ' ἐγγουμένων τῶν πόρων, ὁ μεταλλευτὴς Κράτης ἀνὴρ Χαλκιδεὺς ἀνακαθαίρειν τὰ ἐμφράγματα ἐπαύσατο στασιασάντων τῶν Βοιωτῶν καίπερ, ὡς αὐτὸς ἐν τῇ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολῇ φησιν, ἀνεψυγμένων ἤδη πολλῶν, ἐν οἷς οἱ μὲν τὸν Ὀρχομενὸν οἰκεῖσθαι τὸν ἀρχαῖον ὑπελάμβανον, οἱ δ' Ἐλευσίνα καὶ Ἀθήνας παρὰ τὸν Τρίτωνα ποταμόν.

Crates Chalcidensis cunicularius, quem Diog. Laert. IV 4, 23 ταφώρυχος appellat, ab Alexandro in Boeotiam missus erat, ut obstructiones repurgaret, sed laborem finire non potuit, quia Boeotis seditio inciderat: cf. Steph. Byz. s. v. Ἀθήναι; C. Bursian, Geogr. v. Gr. I Lpz. 1862 p. 198; P. W. Forchhammer, Hellenika I p. 159 sq.; H. N. Ulrichs, Reisen und Forschungen I Bremen 1840 p. 209 sq.; C. O. Mueller, Orchomenos p. 51. De epistula Cratetis minime est dubitandum. Droysen I 2 p. 405 ex Strabonis XV 700 verbis ὡς ἐδήλωσε Γοργός collegit etiam de salinis metallisque Indiae

relationem ex quadam Gorgi epistula esse sumptam, sed non recte: non enim video, cur haec verba utique epistulam indicare debeant; optime cogitari potest, haec in libro quodam scripta fuisse.

2. Darei, Sisygambis satraparumque Darei ad Alexandrum epistulae.

a) Darei.

(86) 1. Arr. II 14: ἐδήλου δὲ ἡ ἐπιστολή, ὅτι Φιλίππῳ τε πρὸς Ἀρταξέρξην φιλία καὶ συμμαχία ἐγένετο· καὶ ἐπειδὴ Ἄρσης ὁ υἱὸς Ἀρταξέρξου ἐβασίλευσεν, ὅτι Φίλιππος ἀδικίας πρῶτος ἐς βασιλέα Ἄρσην ἤρξεν οὐδὲν ἄχαρι ἐκ Περσῶν παθῶν. ἐξ οὗ δὲ αὐτὸς βασιλεύει Περσῶν, οὕτε πέμψαι τινὰ Ἀλέξανδρον παρ' αὐτὸν ἐς βεβαίωσιν τῆς πάλαι οὔσης φιλίας τε καὶ συμμαχίας, διαβῆναι τε ξὺν στρατιᾷ ἐς τὴν Ἀσίαν καὶ πολλὰ κακὰ ἐργάσασθαι Πέρσας· τούτου ἕνεκα καταβῆναι αὐτὸς τῇ χώρᾳ ἀμυνῶν καὶ τὴν ἀρχὴν τὴν πατρῴαν ἀνασῶσων· τὴν μὲν δὴ μάχην ὡς θεῶν τῷ ἔδοξεν, οὕτω κριθῆναι· αὐτὸς δὲ βασιλεὺς παρὰ βασιλέως γυναικῶν τε τὴν αὐτοῦ αἰτεῖν καὶ μητέρα καὶ παῖδας τοὺς ἀλόντας, καὶ φιλίαν ἐθέλειν ποιήσασθαι πρὸς Ἀλέξανδρον καὶ ξύμμαχος εἶναι Ἀλεξάνδρῳ· καὶ ὑπὲρ τούτων πέμπειν ἡξίου Ἀλέξανδρον παρ' αὐτὸν ξὺν Μενίσκῳ τε καὶ Ἀρσίμα τοῖς ἀγγέλοις τοῖς ἐκ Περσῶν ἡκουσι τοὺς τὰ πιστὰ ληψομένους τε καὶ ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου δώσοντας.

(87) 2. Arr. II 25: ἀφίκοντο παρὰ Δαρείου πρέσβεις ὡς αὐτὸν, ἀπαγγέλλοντες μύρια μὲν τάλαντα ὑπὲρ τῆς μητρὸς τε καὶ τῆς γυναικὸς καὶ τῶν παίδων δοῦναι ἐθέλειν Ἀλεξάνδρῳ Δαρεῖον· τὴν δὲ χώραν πᾶσαν τὴν ἐντὸς Εὐφράτου ποταμοῦ ἔστω ἐπὶ θάλασσαν τὴν Ἑλληνικὴν Ἀλεξάνδρου εἶναι· γήμαντα δὲ τὴν Δαρείου παῖδα Ἀλέξανδρον φίλον τε εἶναι Δαρεῖον καὶ ξύμμαχον.

De Darei epistulis cf. supra p. 41 sq.

b) Sisygambis.

(88) 1. Curt. V 3, 14: Ad ultimum victa litteris Alexandrum ita deprecata est, ut ipsum excusaret, quod deprecaretur: potere se, ut illis quoque, si minus, sibi ignosceret: pro necessario ac propinquo suo, iam non hoste, sed supplice, tantum vitam precari.

Curt. V 3, 11 sq. narrat, Alexandrum Uxiorum gentem ad internecionem adducere voluisse; Sisygambis, Darei matris, precibus denique factum esse, ut non solum Medati, eius regionis praefecto, ignosceret, sed etiam Uxios libertate immunitateque donaret agrosque sine tributo colere permetteret. Quam Curtii memoriam satis esse bonam ex Arriano III 17, 6 colligere possumus: „Πτολεμαῖος δὲ ὁ Λάγου λέγει τὴν Δαρείου μητέρα δεηθῆναι ὑπὲρ αὐτῶν Ἀλεξάνδρου δοῦναι σφισι τὴν χώραν οἰκεῖν“. Itaque quin re vera Sisygambis pro Uxiis deprecata sit non est dubium. Quamquam ex Arriano discimus non totam Curtii relationem veram esse; sic Uxiis satis magnum tributum quotannis pendendum fuisse Arrianus tradit, quod manifesto cum Curtii memoria pugnat. Quid de epistula statuendum sit, nescio; fieri potest, ut eam quoque Curtius ex auctore suo sumpserit: nihil enim in ea inest, quod suspicionem moveat, sed res diiudicari non potest. Quin Sisygambis re vera Alexandrum per epistulam deprecata sit non est dubium, cum Susis eam relictam esse ex Curtio V 2, 17 discamus; sed num talem scripserit epistulam, qualem refert Curtius, incertum est¹⁾.

De sequentium epistularum, de quibus iam dicturus sum, omnium fide idem valet: quin re vera tales a satrapis epistulae scriptae sint, minime est dubitandum, sed scriptoribus, qui eas commemorant, epistulae illae praesto non erant, immo ex auctoribus suis memoriam habent, vel ipsi finxerunt hoc vel illo tempore tales epistulas fuisse conscriptas.

1) Adler p. 17 epistulam fictam esse dicit, Persarum enim reginam tam humilem atque submissam se praebuisse prorsus a fide abhorrere. Equidem in epistulae argumento, quod adfert Curtius nihil tam humile atque submissum invenio, ut hac de causa fidem epistulae abrogem; non obliviscendum est Sisygambin captivam fuisse.

c) Hegesistrati.

(89) 1. Arr. I 18, 4: Ἡγησίστρατος γάρ, ὅτῳ ἡ φρουρὰ ἢ Μιλησίων ἐκ βασιλέως ἐπετέτραπτο, πρόσθεν γράμματα παρ' Ἀλέξανδρον ἔπεμπεν ἐνδιδοῦς τὴν Μίλητον· τότε δὲ ἀναθάρβησας ἐπὶ τῷ Περσῶν στρατῷ οὐ μακρὰν ὄντι διασώζειν τοῖς Πέρσαις ἐπενόει τὴν πόλιν.

d) Tiridatis.

(90) 1. Diod. XVII 69, 1: μετὰ δὲ ταῦτα ἐπὶ τὴν Περσέπολιν προάγων κατὰ τὴν ὁδὸν ἐπιστολὴν ἐκομίσατο παρὰ τοῦ κυριεύοντος τῆς πόλεως Τιριδάτου. ἐν ταύτῃ δ' ἦν γεγραμμένον, ἐὰν παραγενόμενος φθάσῃ τοὺς ἐπιβαλλομένους διατηρῆσαι Δαρείῳ τὴν Περσέπολιν, κύριον ἔσεσθαι ταύτης ὑπ' αὐτοῦ παραδοθείσης. Cf. Curt. V 5, 2.

Curtius alia in epistula fuisse scripta tradit: „litterae . . . indicantes eos, qui in urbe essent, audito eius adventu diripere velle thesauros: properaret occupare thesauros dimissos: expeditum iter esse, quamquam Araxes amnis interfluat“. Thirlwall VI p. 232 et Droysen I 1 p. 359 Curtium secuti sunt; Grote XI p. 497 utramque memoriam coniunxit, fortasse iure. Tiridates sane etiam de thesauris scripsisse potest, sed gravissimum certe erat, quod Diodorus refert, Tiridatem urbem tradere Alexandro voluisse; quare, si quis unam tantum memoriam veram esse dicat, ei Diodori relatio sequenda sit. Quae Curtius habet, ea ipse finxisse potest, cum ex Arriano III 18, 10 discamus Alexandrum Persepolim advenisse, priusquam thesauri diriperentur: σπουδῇ ἤλαυνεν ἐπὶ Πέρσας, ὥστε ἔφθῃ ἀφικέσθαι πρὶν τὰ χρήματα διαρπάσασθαι τοὺς φύλακας. Sed iam supra dixi optime cogitari posse, quae Diodorus et quae Curtius praerberent, ea re vera in epistula Tiridatis fuisse scripta.

e) Nabarzanis.

(91) 1. Curt. VI 4, 8 sq.: „Quartum iam diem eodem loco quietem militi dederat, cum litteras Nabarzanis, qui Da-

reum cum Besso interceperat, accipit, quarum sententia haec erat: se Dareo non fuisse inimicum, immo etiam, quae credidisset utilia esse, suasisse et, quia fidele consilium regi dedisset, prope occisum ab eo. Agitasse Dareum custodiam corporis sui contra ius fasque peregrino militi tradere damnata popularium fide, quam per ducentos et triginta annos inviolatam regibus suis praestitissent. Se in praecipiti et lubrico stantem consilium a praesenti necessitate repetisse Dareum quoque, cum occidisset Bagoan, hac excusatione satisfacisse popularibus, quod insidiantem interemisset. Nihil esse miseris mortalibus spiritu carius: amore eius ad ultima esse propulsum. Sed ea magis esse secutum, quae opus fuisset, quam quae optasset. In communi calamitate suam quemque habere fortunam. Si venire se iuberet, sine metu esse venturum. Non timere, ne fidem datam tantus rex violaret: deos a deo falli non solere. Ceterum si, cui fidem daret, videretur indignus, multa exsilia patere fugienti: patriam esse, ubicunque vir fortis sedem sibi elegerit. Nec dubitavit Alexander fidem, quo Persae modo accipiebant, dare, inviolatum, si venisset, fore.

Nabarzanem aliosque Persas nobilissimos in Hyrcania ad Alexandrum accessisse seque ei dedidisse, Alexandrum vero eos benigne excepisse tradunt etiam Arr. III 23, 4, Diod. XVII 76, 1. Res igitur minime est dubia; sed oritur quaestio difficillima, utrum Curtius epistulam, quam adfert, ipse finxerit, an re vera ex auctore suo sumpserit. Curtium non omnes epistulas, quas adfert, finxisse, sed etiam ex auctoribus optimis eas nonnumquam sumpsisse vidimus supra in disputatione de Alexandri epistula ad Dareum (cf. p. 47 sq.), quam ex Aristobulo eum hausisse patet; sane non veris epistulae verbis usus est, sed ipse epistulam secundum verae epistulae exemplum composuit. Propterea etiam hoc loco fieri potest, ut a Curtii auctore quoque epistula allata fuerit, quam rhetorice exornaverit Curtius. Res vix diiudicari potest, cum reliqui scriptores brevissime tantum eam attigerint, quod valde dolendum est. De Curtio certum facere iudicium res est una omnium difficillima, quia saepissime relationem rhetorice exornat; in

epistula ipsa nihil inest, quod suspicionem moveat, sed etiam nihil inest, quod Curtius ipse fingere non potuerit, quare quaestio in medio relinquenda est¹⁾.

f) satraparum, quorum nomina non adferuntur.

(92) 1. Curt. III 13, 2: Sed forte in exploratores ab eo praemissos incidit nazione Mardus, qui ad Parmenionem perductus litteras ad Alexandrum a praefecto Damasci missos tradit ei nec dubitare eum, quin omnem regiam supellectilem cum pecunia traderet, adiecit. Parmenio adservari eo iusso litteras aperit, in quibus erat scriptum, ut mature Alexander aliquem ex ducibus suis mitteret cum manu exigua, cui traderet, quaecunque rex penes ipsum reliquisset.

Parmenionis expeditionem Arrianus breviter attigit II 11, 10 et 15, 1, sed ex relatione eius 15, 1 perspicuum est, Curtii memoriam, quamquam rhetorice sit exornata, tamen satis esse bonam; cf. etiam Polyaen. IV 5; ex locis illis enim apparet, gazam reliquumque apparatus a Parmenione non in ipsa urbe, sed extra urbem fugientibus hostibus capta esse, quod cum Curtio prorsus congruit; cf. p. 118.

(93) 2. Curt. VI 6, 20: iter facienti ei litterae adferuntur a finitimis satraparum, e quibus cognoscit Bessum quidem hostili animo occurrere cum exercitu, ceterum Satiarzanem, quem satrapeae Arriorum ipse praefecisset, defecisse ab eo.

De re cf. Arr. III 25, 5 sq.; Diod. XVII 78, 1. Arrianus utitur verbo ἐξηγγέλθη, sed hoc non obstat, quin per epistulas Alexander certior factus esse possit. Curtius saepius homines, qui epistulas miserint, nomine appellat, ubi Arrianus eos non nominat; velut Arr. III 25, 3 dicit ἀφικνοῦνται Περ-

1) A. Giesecke, De philosophorum veterum, quae ad exilium spectant, sententiis, Lpz. 1891 p. 78 hanc epistulam fictam esse Cynicamque redolere originem dicit; cui assensus est Adler p. 18.

σῶν τινες, οἳ ἤγγελλον, Curtius contra VI 6, 13 Satibarzanen nuntium misisse tradit¹⁾).

3. Philippi et Olympiadis ad Alexandrum epistulae.

a) Philippi.

(94) 1. Cic. de off. II 14, 48: „exstant epistulae et Philippi ad Alexandrum et Antipatri ad Cassandrum et Antigoni ad Philippum filium, trium prudentissimorum — sic accepimus —, quibus praecipunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam adiciant militesque blande appellando deleniant“. Ex eadem sine dubio epistula sua habet Cic. de off. II 15, 53: „praeclare in epistula quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benevolentiam Macedonum consecetur: „quae te, malum“, inquit, „ratio in istam spem induxit ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses? An tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum et praebitorem putent?“ — Val. Max. VII 2 ext. 10 eadem repetivit.

De fide epistularum valde est dubitandum; primum enim cogitari vix potest, quando Philippus haec ad Alexandrum scripserit, deinde etiam Olympiadem talia ad Alexandrum scripsisse tradit Plutarchus, qua de re paulo post erit dicendum, ita ut falso Philippo tales epistulas tributas vel potius epistulas illas fictas esse putem²⁾. Quod Cicero eas attulit

1) Permira sunt quae Adler p. 18 de his litteris adnotavit: „quas nec ab eisdem nec eodem tempore missas esse Arrianus docet, Curtius autem, ut est levis atque negligens, duas in unam cogit epistulam“. Sed undenam, quaeso, hoc collegit? Arrianus III 25, 5 prorsus cum Curtio congruit; levitatem atque negligentiam equidem haec in re potius Adlero tribuerim.

2) Tales re vera exstitisse epistulas de Alexandri largis profusisque sumptibus discimus ex Julio Valerio interpretationeque Ps.-Callisthenis Armenica: ibi enim inest epistularum commercium, quod

documento esse non potest, eas re vera esse bonas, quia Cicero epistulas subditivas ut veras nonnunquam usurpavit atque in collectione eius optime epistulae et verae et subditivae inesse potuerunt; nam tales fuisse collectiones ex Strabone perspicuum est; cf. p. 15 et Westermann VI p. 17 sq.

b) Olympiadis.

Omnibus fere scriptorum locis, ubi epistularum Olympiadis ad Alexandrum mentio fit, narratur, Olympiadem hunc vel illum e nobilissimis Macedonibus apud Alexandrum per epistulas criminatam esse. Vix est credendum eam nisi amore materno permotam epistulas illas non scripsisse, immo ubique domesticae quaedam causae, ambitio, invidia, aemulatio, alia intellegi possunt. Olympias enim erat potestatis cupidissima neque ullam iniuriam vel neglectionem vel immodestiam inultam atque impunitam dimittebat, immo odio inexpiabili omnes, quibus infensa erat, persequebatur; mulier erat natura immanissima. Commodum dictum est illud Alexandri: βαρὺ δὴ τὸ ἐνοίκιον τῶν δέκα μηνῶν εἰσπράττεσθαι αὐτὸν τὴν μητέρα (Arr. VII 12, 6). His rebus in universum praemissis iam ad singulas Olympiadis epistulas adeamus.

(95) 1. Arr. VII 12, 7: ἡ δὲ ὑπέρογκον εἶναι τῇ τε ἀξιώσει καὶ τῇ ἄλλῃ θεραπείᾳ Ἀντίπατρον οὐδὲ μεμνήσθαι τοῦ καταστήσαντος ἔτι, ἀλλ' αὐτὸν γὰρ ἀξιοῦν τὰ πρῶτα φέρεσθαι ἐν τοῖς ἄλλοις Μακεδόσι τε καὶ Ἑλλησι.

Cf. Just. XII 14, 3 et supra p. 117.

(96) 2. Diod. XVII 32, 1: ἡ δὲ μήτηρ τοῦ βασιλέως ἔγραψε πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον τά τε ἄλλα τῶν χρησίμων καὶ διότι φυλάξασθαι προσήκει τὸν Λυγκηστὴν Ἀλέξανδρον. De re cf. p. 120.

(97) 3. Curt. VII 1, 12: igitur olim sibi esse su-

intercesserit inter Zeuxidem, Philippum, Olympiadem, Aristotelem, Alexandrum. Recte equidem Zacherum l. l. p. 92 coniecisse puto etiam in Ps.-Callisthene Graeco, in cuius textu epistulae illae nunc desunt, eas quondam infuisse.

spectos matris suae litteris, quibus esset admonitus, ut ab his salutem suam tueretur. Cf. VII 1, 36.

Agitur hoc loco de quaestione de Amynta, Attalo¹⁾, Simmia, Polemone, Andromenis filiis, habita, qui Philotae amicissimi fuerant, quare eo necato etiam in eorum quasi coniurationis consciorum capita quaestio habita est; cf. Arr. III 27, 1 sq. Verbis illis, quae attuli, Alexander utitur in accusatione. Litteras Olympiadis de Amynta fratribusque eius scriptor praeter Curtium nemo commemorat, sed minime de iis est dubitandum²⁾; etiam causa, cur odio Amyntae ardere coeperit Olympias, quam adfert Curtius, valde est verisimilis et iure eam probavit Thirlwall VI p. 274. Amyntae ad perducendos ex Macedonia milites misso (cf. Diod. XVII 49, 1; 65, 1; Arr. III 11, 9; 16, 10; Curt. IV 6, 30; V 1, 40 sq.; VII 1, 36) Alexander, cum multos integros iuvenes in domo Olympiadis abscondi³⁾ docuisset praeceperat, ne quem praeter se respiceret, sed ut detrectantes militiam perduceret ad se. Quod cum Amyntas fecisset Olympiadis odium ex eo collegerat.

(98) 4. Diod. XVII 114, 3. καθόλου γὰρ ὁ Ἡφαιστίων τσαύτης ἐξουσίας καὶ φιλικῆς ἐκoinώνει παρρησίας ὡς τῆς Ὀλυμπιάδος ἀλλοτρίως ἐχούσης πρὸς αὐτὸν διὰ τὸν φθόνον καὶ κατὰ τὰς ἐπιστολὰς ἐπιτιμώσης αὐτῆ σκληρότερον καὶ ἀπειλούσης τὰ τε ἄλλα γράφει πρὸς αὐτὴν κτλ.⁴⁾

Hephaestioni Olympias infensa erat, quia amoris amicitiaeque Alexandri erga Hephaestionem inuidebat. „Is longe omnium amicorum carissimus erat regi, cum ipso pariter eductus, secretorum omnium arbiter“ (Curt. III 12, 16). Verbo attigisse sat est narratiunculam illam notissimam, quae

1) Attalum Curtius non nominat, sed ex Arriano III 27, 1 scimus, eum quoque Amyntae fratrem fuisse et una cum eo quaestione illaqueatum esse.

2) Iniuria Adler p. 17 tales epistulas inter fabulas numerat.

3) Valde mihi placet Thirlwallii coniectura Antipatrum de hac re Alexandrum certiore fecisse per epistulam.

4) Adler p. 20 etiam de hac epistula falso dubitavit; falsissime porro, quae Diodorus in sequenti paragrapho Hephaestionem Olympiadi scripsisse narrat, Alexandro tribuit.

trahit, Alexandrum cum epistulam arcanam a matre acceptam legeret et Hephaestio una eam percurreret, non prohibuisse, ne legeret, sed anulum suum ori eius imposuisse. Cf. Plut. de Alxi. virt. I 11 p. 332 f: ἐπιστολὴν δὲ ποτε τῆς μητρὸς ἀπόρρητον διερχόμενος Ἡφαιστίωνος, ὡς ἔτυχε, παρακαθημένου καὶ ἀπλῶς συναναγιγνώσκοντος, οὐκ ἐκώλυσεν ἀλλὰ τὸν δακτύλιον αὐτοῦ τῷ στόματι προσέθηκεν αὐτοῦ, κατασφραγισάμενος φιλικῆ πίστει τὴν σιωπὴν, φιλοσόφως; cf. de Alxi. virt. II 7 p. 340^a; Alx. 39, 4; reg. et imper. apophth. Ἄλεξ. 14 p. 180^d. Mor. p. 180^d dicitur in epistula illa in fuisse αἰτίας ἀπορρήτους κατ' Ἀντιπάτρου καὶ διαβολὰς, sed num Plutarchus haec in auctore suo invenerit incertum est. Sane fieri potest, ut id in auctore infuerit, sed odium Olympiadis in Antipatrum tam erat notum, ut cogitari possit, Plutarchum ipsum haec addidisse; nam mirum esset Plutarchum nisi hoc loco Antipatri non fecisse mentionem, cum alia omnia fere ad verbum congruerent: sed re vera in epistula illa etiam de Antipatro fuisse scriptum ex sequenti epistula videbimus.

(99) 5. Plut. Alx. 39, 4: περὶ δὲ τῶν τοῖς φίλοις καὶ τοῖς σωματοφύλαξι νεμομένων πλούτων, ἡλίκαν εἶχον ὄγκον, ἐμφαίνει δι' ἐπιστολῆς Ὀλυμπιάς, ἣν ἔγραψε πρὸς αὐτόν. „Ἄλλως, φησὶν, εὖ ποιεῖ τοὺς φίλους καὶ ἐνδόξους ἄγε · νῦν δ' ἰσοβασιλέας πάντας ποιεῖς καὶ πολυφιλίας παρασκευάζεις αὐτοῖς, ἑαυτὸν δὲ ἐρημοῖς“. Πολλάκις δὲ τοιαῦτα τῆς Ὀλυμπιάδος γραφούσης ἐφύλαττεν ἀπόρρητα τὰ γράμματα κτλ.

Plutarchus cum hac relatione narratiunculam quam modo attuli (cf. n. 98) coniungit. De hac epistula Thirlwall l. l. recte dixit: „her advice . . . may seem to have been dictated by pure maternal affection: yet it admitted of an application to Antipater, which renders the motive questionable“. Cur de epistula sit dubitandum non video¹⁾; Westermann VI p. 8 eam non diversam esse putat ab ea, quam Philippo tribuit Cic. de off. II 15, 53, sed dubito, num recte: equidem potius

1) Iniuria de epistula dubitavit Kaerst p. 114, quem secutus est Adler p. 34.

puto, epistulas Philippi secundum hanc veram epistulam a fabricatoribus fictam esse (cf. p. 130).

Restant duae epistulae, quae non de criminationibus sunt.

(100) 6. Gell. XIII 4: „nam cum is (sc. Alexander) ad matrem ita scripsisset: „rex Alexander, Jovis Hammonis filius, Olympiadi matri salutem dicit“, Olympias ei rescripsit ad hanc sententiam: amabo, inquit, mi fili, quiescas neque deferas me neque criminere adversum Junonem: malum mihi prorsus illa magnum dabit, cum tu me literis tuis paelicem esse illi confiteris.

Cf. p. 88.

(101) 7. Athen. XIV 659' 660^a: ἐμφαίνει δ' αὐτῶν τὴν ἐμπειρίαν καὶ ἢ πρὸς Ἀλέξανδρον Ὀλυμπιάδος ἐπιστολή. προτρεπομένη μάγειρον αὐτῇ πρίασθαι θυσιῶν ἐμπειρον ἢ μήτηρ φησί „Πελίγναν τὸν μάγειρον λαβὲ παρὰ τῆς μητρὸς. οὗτος γὰρ οἶδε τὰ ἱερά σου τὰ πατρῷα πάντα ἐν τρόπον θύεται καὶ τὰ ὀργιαστικά καὶ τὰ Βακχικά, ὅσα τε Ὀλυμπιάς προθύεται, οὗτος οἶδεν. μὴ οὖν ἀμελήσης, ἀλλὰ λαβὲ καὶ ἀπόστειλον πρὸς ἐμὲ τὴν ταχίστην“.

De huius epistulae fide dubitaverunt Westermann VI p. 9 et Wilamovitz-Kaibel ad h. l., sed quidni Olympiadem re vera talem epistulam ad Alexandrum scripsisse sumamus? Olympias orgiis sacrificiisque valde delectabatur; optime igitur cogitari potest eam, cum audiisset, Pelignan μάγειρον penitus percepisse omnia sacrificiorum genera, a filio petivisse, ut sibi eum mitteret. Vix enim puto epistularum inventores talem epistulam excogitare potuisse. Ceterum in hac epistula nonnullae insunt corruptelae, de quibus disserere non iuvat, ne nimis longa fiat disputatio mea.

4. Aristotelis ad Alexandrum epistulae.

Aristotelem ad Alexandrum epistulas scripsisse non est quod demonstratur; alia est quaestio, utrum epistulae illae collectae fuerint, necne. Rose prorsus negat veras Aristotelis epistulas etiamnunc exstare, cum ipsis antiquis temporibus fictae epistulae superessent. Sed non recte: mea quidem sen-

tentia Stahr, Aristotelia II p. 194; E. Heitz, D. verlor. Schrift. d. Arist. Lpz. 1865 p. 283; Wilamovitz, Antigon. v. Kar. p. 151 et Bergk, Gr. Litgesch. IV p. 496 sq. (Berlin, 1887) iure contenderunt veras Aristotelis epistulas collectas fuisse: vix enim credendum est, Demetrium, Simplicium aliosque rhetores¹⁾ ex subditivis illis epistulis Aldinis, vel epistula illa rhetoricae ad Alexandrum praeposita, aliis sua de epistulis scribendis praecepta repetivisse vel epistulas illas fictas talibus laudibus extulisse. Quamquam perpauca epistularum ad Alexandrum manserunt fragmenta, quae iam inspiciamus.

(102) 1. Gell. XX 5 (frg. 662 Rose): Ἀριστοτέλης βασιλεῖ Ἀλεξάνδρῳ εὖ πράττειν. Ἐγγραψάς μοι περὶ τῶν ἀκροατικῶν λόγων οἰόμενος δεῖν αὐτοὺς φυλάττειν ἐν ἀπορρήτοις. ἴσθι οὖν αὐτοὺς καὶ ἐκδεδομένους καὶ μὴ ἐκδεδομένους· ξυνετοὶ γὰρ εἰσι μόνους τοῖς ἡμῶν ἀκούσασι. ἔρρωσο. Cf. Plut. Alx. 7, 4.

Epistula manifesto est ficta; cf. de re supra p. 90.

(103) 2. Aelian. var. hist. XII 54 (frg. 659 R.): „Ἀλέξανδρον Ἀριστοτέλης ὀργιζόμενον πραῦναι βουλόμενος καὶ παῦσαι χαλεπαίνοντα πολλοῖς ταυτὶ πρὸς αὐτὸν γέγραπεν· „ὁ θυμὸς καὶ ἡ ὀργὴ οὐ πρὸς ἡττους, ἀλλὰ πρὸς τοὺς κρείττους γίνεται· σοὶ δὲ οὐδεὶς ἴσος“.

Hanc epistulam Zeller²⁾ fortasse veram esse dixit, nescio an recte: nam quin Aristoteles tales epistulas scripserit non est dubium atque etiam ex vita Marc. f. 276^a fin. (frg. 655 R.) perspicuum est: „τῇ δυνάμει πρὸς εὐποίαν ἐχρήσατο, ἕνα τε ἕκαστον εὐεργετῶν καὶ πόλεις ἔλας καὶ πάντας ἅμα. ὅσα μὲν γὰρ ἕκαστον εὐεργέτησεν αἱ γεγραμμένα αὐτῷ κατὰ τοὺς βασιλέας περὶ τινῶν ἐπιστολαὶ δηλοῦσιν“ (in Ps.-Ammonii vita epistulae illae συστατικαί appelluntur). In fragmento, quod

1) Cf. Rose, Aristotelis qui ferebantur librorum fragmenta, Lpz. 1886 p. 411. Epistularum Aristotelis indicem profert Diog. Laert. V 1, 27: ἐπιστολαὶ πρὸς Φίλιππον. πρὸς Ἀλέξανδρον δ'. πρὸς Ἀντίπατρον δ'. πρὸς Ὀλυμπιάδα α'. πρὸς Ἡφαιστίωνα α'... De Aristoteles epistulis cf. etiam Susemihl l. l. p. 579 et not. 16-18.

2) Zeller, Phil. d. Gr. II 2 p. 28 n. 1 et p. 37 n. 2; etiam Nissen Rh. Mus. XLVII p. 180 epistulae illius fragmenta vera esse putat.

supra exscripsi, certe nihil inest, quod suspicionem moveat. Ex eadem vel simili epistula sumpta sunt frgg. 660, 661 (R.) = Stob. flor. 20,47 et 20,55. Frg. 660: Ἀριστοτέλους . ὥσπερ ὁ καπνὸς ἐπιδάκνων τὰς ὄψεις οὐκ ἐξ βλέπειν τὸ κείμενον ἐν τοῖς ποσίν, οὕτως ὁ θυμὸς ἐπαιρόμενος τῷ λογισμῷ ἐπισκοτεῖ καὶ τὸ συμβησόμενον ἐξ αὐτοῦ ἄτοπον οὐκ ἀφήσει τῇ διανοίᾳ προλαβεῖν. Frg. 661: Ἀριστοτέλους . ἢ οὐχ ὄρας ὅτι τῶν ἐν ὀργῇ διαπραττομένων ἀπάντων ὁ λογισμὸς ἀποδημεῖ φεύγων τὸν θυμὸν ὡς πικρὸν τύραννον. De fide frg. 660 Rose, Arist. psepig. p. 114 dubitavit, cum Philodemus περὶ ὀργῆς (Ox. f. 74 = coll. alt. I f. 61) ex Pasierate idem dictum adferret i. e. ἐπισκοτεῖν τοῖς λογισμοῖς, sed dubito num recte. Pasierates ille ἀκροατῆς erat Aristotelis atque optime cogitari potest eum commode illud ab Aristotele dictum in libro suo περὶ ὀργῆς usurpasse. Equidem etiam de horum fragmentorum fide non dubitandum esse censeo.

(104) 3. Demetr. περὶ ἑρμ. 233 (Rh. Gr. IX p. 99) frg. 656 R.: „Ἀριστοτέλης μέντοι καὶ ἀποδείξεισιν που χρήται ἐπιστολικαῖς . οἷον διδάξαι βουλόμενος, ὅτι ὁμοίως χρῆ εὐεργετεῖν τὰς μεγάλας πόλεις καὶ τὰς μικράς φησιν „οἱ γὰρ θεοὶ ἐπ’ ἀμφοτέραις ἴσοι . ὥστ’ ἐπεὶ αἱ χάριτες θεαί, ἴσοι ἀποκείσονται σοι παρ’ ἀμφοτέραις“ . καὶ γὰρ τὸ ἀποδεικνύμενον αὐτὸ ἐπιστολικὸν καὶ ἡ ἀπόδειξις αὐτῆ.

Rose hoc fragmentum ex epistula quadam Aristotelis ad Alexandrum sumptum esse putat, qua Aristoteles, cum etiam μικρὰς πόλεις εὐεργετεῖν debere diceret, Stagiram spectasset; epistulam ipsam esse fictam. Sed fieri non potest, ut Rosio assentiar; equidem non video, cur haec epistula utique ad Alexandrum data sit: collegit hoc Rose sine dubio ex vitae locis, quos supra attuli (frg. 655 R.), ubi dicitur: πείθει τὸν Ἀλέξανδρον δεύτερον κτίσαι (sc. Stagiram) καὶ χώρας ἑτέρας αὐτῇ καταδιδόναι, sed ex his verbis omnino non conficitur eum hoc per epistulam fecisse; ex verbo πείθει hoc certe non efficitur. Philippum Stagiram a se dirutam restituisse recte monuit Schaefer, Dem. II p. 154 n. 2, p. 445, ubi omnes scriptorum locos collegit. Itaque, si hoc loco omnino de Stagira cogitandum est, haec epistula ad Philippum data esse

potest¹⁾. De epistula non video cur sit dubitandum, sed equidem fragmentum illud potius inter fragmenta incerta posuerim, quia ex Demetrii verbis non colligi potest ad quem epistula data sit, ad Philippum an ad Alexandrum. Idem valet de epistula, quam adfert

(105) 4. Dio Chrysost. or. 47, 9 sq. p. 601 Emp. (frg. 657 R.), si omnino est vera. Quae Dio ad verbum ex ea adfert liceat mihi perscribere: „μεταξὺ δὲ πρώην ἐνέτυχον ἐπιστολῇ τινι, ἐν ἣ ἔστι μετανοῶν καὶ ὀδυρόμενος καὶ λέγων ὅτι τούτων τινὲς καὶ τὸν βασιλέα καὶ τοὺς ἀφικνουμένους σατράπας διαφθείρουσιν, ὥστε μηδὲν ἀγαθὸν γενέσθαι μηδὲ ἔλως κατοικισθῆναι τὴν πόλιν . . . ὁ δ’ οὖν Ἀριστοτέλης ἐπιστέλλων γράφει ὡς τοῖς πράγμασιν ἀπειρηκῶς . φησὶ γὰρ αἶρειν τοὺς δακτύλους τοὺς Ἰδαίους. Hanc quoque epistulam Westermann III p. 6 et Rose ad Alexandrum datam esse dixerunt, sed sententiam suam mihi quidem non probaverunt. Rosio assensus est Heitz²⁾, qui utrumque fragmentum inter epistulas Aristotelis ad Alexandrum datas enumeravit.

(106) 5. Plut. de fort. Alxi. I 6: οὐ γὰρ ὡς Ἀριστοτέλης συνεβούλευεν αὐτῷ (sc. Alexandro) τοῖς μὲν Ἑλλησιν ἡγεμονικῶς τοῖς δὲ βαρβάροις δεσποτικῶς χρώμενος καὶ τῶν μὲν ὡς φίλων καὶ οἰκείων ἐπιμελούμενος τοῖς δὲ ὡς ζῳοῖς ἢ φυτοῖς προσφερόμενος πολεμοποιῶν φυγῶν ἐνέπλησε καὶ στάσεων ὑπούλων τὴν ἡγεμονίαν, ἀλλὰ κοινός . . .

Aristotelem Alexandro hoc consilium per epistulam dedisse per se patet, praeterea autem certissime probari potest Eratosthenis testimonio apud Strabonem I 66: ἐπὶ τέλει δὲ τοῦ ὑπομνήματος οὐκ ἐπαινέσας (sc. Eratosthenes) τοὺς δίχα διαίρουντας ἅπαν τὸ τῶν ἀνθρώπων πλῆθος εἰς τε Ἑλληνας καὶ βαρβάρους καὶ τῷ Ἀλεξάνδρῳ παραινούντας τοῖς μὲν Ἑλλησιν

1) Nissen l. l. p. 167 n. 1 de hac re haec adnotavit: „Durch die Annahme, dass dies während des thrakischen Krieges und der Regentschaft Alexanders geschah, lassen sich beide Nachrichten vereinigen“. Nissen fortasse iure mediam ingressus est viam: cuius si sententiam probamus epistulam ad Philippum scriptam esse statuamus necesse est.

2) E. Heitz, Aristoteles ed. Didot. IV 2 p. 324 sq.

ὡς φίλοις χρῆσθαι τοῖς δὲ βαρβάροις ὡς πολεμίοις, βέλτιον εἶναι φησι ἀρετῇ καὶ κακίᾳ διαιρεῖν ταῦτα . . . καὶ ὁ Ἄλέξανδρος οὖν οὐκ ἀμελήσας τῶν παραινούτων ἀλλ' ἀποδεξάμενος τὴν γνώμην τὰ ἀκόλουθα οὐ τὰ ἐναντία ἐποίησε πρὸς τὴν διανοιαν σκοπῶν τὴν τῶν ἐπεσταλκῶτων. De epistula etiam rectissime cogitavit Rose l. l. p. 415; contra Bernays et Lippert¹⁾ alia senserunt, et hic quidem de λόγῳ συμβουλευτικῷ, ille vero de dialogo cogitavit, falso mea quidem sententia. Puto hanc epistulam non magis fuisse obsignatam („offenes Sendschreiben“), quam quas Theopompus et Isocrates ad Alexandrum miserunt: de quibus infra erit dicendum; de fide eius non est dubitandum, cum Eratosthenis nitatur testimonio. Ab hac epistula prorsus secernenda est

(103) 6. Aristotelis epistula Arabice conscripta atque nuperrime a Lipperto in dissertatione, quam modo commemoravi, edita. Jam vero liceat mihi epistulam illam adferre, cum eam vere Aristotelicam gravissimumque litterarum monumentum esse putem²⁾.

Epistula Aristotelis ad Alexandrum de regimine.
In nomine Dei, Clementis, Misericordis.

1) J. Bernays, Die Dialoge des Aristoteles p. 53 sq. et p. 154; J. Lippert, De epistula pseudaristotelica *περὶ βασιλείας* commentatio, Halle 1891. Lipperti argumentatio satis est debilis, sed recte eum nonnullos locos huc pertinentes attulisse puto: Cic. ad Att. XII 40, XIII 28 (utrumque locum infra exscripsi); Ps.-Ammon. vita Arist. (ante comm. in categ. Ven. 1545 f. 56) τῷ δ' Ἀλεξάνδρῳ καὶ περὶ βασιλείας ἔγραψεν ἐν ἐνὶ μονοβίβλῳ παιδεύων αὐτὸν ὅπως δεῖ βασιλεύειν; Ps.-Ammon. (introd. in categ. Ven. 1545 f. 96) μερικὰ μὲν οὖν ἐστὶν, ὅσα πρὸς τινὰ ἰδίᾳ γέγραπται ὡς ἐπιστολαὶ ἢ ὅσα ἐρωτηθεῖς ὑπὸ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνα περὶ τῆς βασιλείας καὶ ὅπως δεῖ τὰς ἀποιτίας ποιεῖσθαι γεγράφηκε. Rose falso hos locos ad epistulam Arabicam pertinere putavit. Cf. Susemihl l. l. p. 579 n. 18.

2) Gratus mihi animus testificandus est viro doctissimo, Arabicae linguae peritissimo, Wilhelmo Volek, qui mira erga me usus benevolentia hanc Lipperti interpretationem Latinam me rogante recensuit atque haec mihi scripsit: „die lateinische Uebersetzung ist in allen wesentlichen Punkten zutreffend, aber der arabische Text scheint mir noch mannigfacher Berichtigung zu bedürfen etc.“ Quare Lipperti interpretationem repetere non dubitavi.

1. Admiratio quidem facinorum tuorum paene abolita est continua eorum serie, qua facta sunt ut res vetus, cui adsuevimus, non sicut aliquid novi, quod miramur; gaudium vero de rebus iis, quae tibi contingunt, non vacamus, praesertim si felicitatis tuae amplitudinem reputeamus, cumque sis talis, de quo recte dicit populus: „non mentitur, qui te laudat“.

Pervenit autem ad nos nuntius te post morbum, in quem incidisti Babylone, post victorias, quas reportasti de Dario iisque, qui partes eius sequebantur, post pericula illorum bellorum, quae subiisti, post aerumnas, quas pertolerasti, coepisse operam navare in aliusmodi rebus, quae maiestati tuae et altitudini conveniunt; sed necesse est te antea vacare contemplationi rerum earum, quae praestant bonum civitatum statum, inprimis ferendarum legum. Est enim hoc studium laudabile, quod tibi curae esse debet tibi que affert gloriam famamque praeclaram. Nam haud ignoras, quid sit assecutus Lycurgus institutione legum suae civitatis; sed pro amplitudine regni tui et numero urbium tuarum amplior erit tua gloria quam eius, qui unam civitatem bene instituit; eritque tibi aeterna gloria et celsitudo, cum institutio legum sit salus populi et perpetuitas incolumitatis et concordia subditorum.

2. Multi vero homines arbitrati sunt non esse opus principe, qui instituat leges, nisi belli temporibus; dissolutis contra bellis divulgataque pace et tranquillitate careri eo posse. Adducti nimirum sunt ad hanc sententiam, quod opinantur fortunarum usum rem esse cuius facilem accessu (proprie: fontem profano vulgo se offerentem), contra difficile esse perferre calamitates neque valere ad hoc unumquemque. Sed equidem hanc sententiam non probo, multo magis contrarium mihi rectum videtur esse propterea, quod homines, si sollicitantur calamitatibus, prudentes et sapientes fiunt idque expectant, quod salutem afferat; item, si terrores eos accedunt, id assequi student, quod illos a se arceat; sin vergunt ad incolumitatem, inclinant ad crimina et iniurias exuuntque prudentiae fraenum. Quamobrem nihil fortasse inveneris difficilius quam manere prudentiam in conditionis laxitate et commoditate; sed saepissime in rebus secundis abducitur et amovetur

prudencia; itaque maxime opus sunt hominibus leges, si tranquillitate et pace utuntur. Nam si bella geruntur, multi in iis casus eveniunt; qui si eveniunt, cauti homines et prudentes sunt. Sed in pace quoque multi casus eveniunt; tunc vero homines inertes sunt et negligunt res suas. In hac igitur conditione opus est populo eruditio et lex.

3. Sed lex non fit lex, nisi vita dirigitur secundum eam; vivunt autem homines secundum legem, si princeps iis est, qui eos adducit ad legem. Sed hoc non potest efficere nisi is, cuius principatus est legitimus, non discordia civilis vel iniusta tyrannis. Quiete vero et tranquillitate perfrui non est eiusmodi, quod unusquisque sciat, sicut illi arbitrati sunt; etenim, si hoc ita esset, patres quoque deberent bona sua inter filios dividere inde a prima eorum pueritia. Sed sicut nullo modo fieri potest, ut tradant bona sua pueris, ita fieri minime potest, ut tradatur civitatis regimen populo, cum sint populi mores similes puerorum moribus, quorum utrumque genus desiderat custodes et rectores. Hoc quoque huiusce rei utaris exemplo, quod vides fortunae conversiones et dynastiarum commutationes atque animadvertis non durare regnorum status ullo modo aut in ulla civitate; nam eiusmodi commutationes et in Asiae et in Europae et in aliis terris vidimus. Occupabant enim Asiae imperium vicissim Assyrii et Babylonii, his successerunt Medi, hisce Persae. Item multas alias eiusmodi mutationes invenies. Ex quibus omnibus hoc unum colligere licet, quod iam supra memoravimus, difficilius esse in rebus secundis libere versari quam adversa pertolerare. Huc referendum est, quod vides eos, qui consecuti sint imperium inter calamitates afflictionesque, postea vero res suas docente experientia magis magisque auxerint, longum per tempus floruisse imperiumque ad felicitatem et prosperum finem eduxisse; contra eos, qui adoleverint inter otium et securitatem, quibus res ad vitam necessariae affluerint sine labore, quibus nihil mali inciderit, nihil terroris attigerit, contrarium habuisse exitum. Sic vides florere civitates et inclarescere afflictionibus et aerumnis, interire et deleri mollitie et otio in cessationem homines vocantibus. Homines vero propterea

plerumque in otium pelliciuntur, quod eo delectantur. Cuius rei causa est, quod repudiant disciplinam et bonos mores fugientes labores et praeferunt otium et segnitiam quaerentes quietem. Sic vero perdunt vitam suam in quaerendis deliciis, quae calamitates afferunt. Neque ullo modo durare potest regnum, si rebus vanis homines indulgent eruditionemque ad nihilum redigunt; nulla tunc defensio rerum sacrarum, nulla denique salus populi. Quae cum ita sint primo desiderat civitas leges bene ordinatas, dein principem, qui eas instituat populumque ad bonos mores adducat et quidem homines vilis et ferocis indolis per timorem, homines vero generosi nobilisque animi per pudorem.

4. Quomodo vero fit lex communis nisi principe communi? quis porro colligit homines ad familiaritatem et bonam conditionem, quis perficit legem et exequitur nisi vir, cui est magna potentia, conspicua potestas in magna urbe, ut possit esse legibus adiutor, hominibus familiaritatis vinculum. Talis enim vir efficere potest, ut in civitate boni mores maneant et foedae res prohibeantur; neque possunt florere civitates nisi bono statu principum et rectorum. Oportet vero hunc virum esse intelligentem et probum, qui non solum strenuitate et iustitia et virtutibus excellat, verum etiam potentia et belli apparatu, ut coercere populum et ad legem adducere possit. Multi enim populi non obtemperant aequitati neque obsequuntur iuri. His si nullus inest timor, inclinant ad res vanas nec non dissolvendas leges. Quapropter in hac maxime conditione opus est principe legitimo, qui in unum cogat rem populi, ut sunt illi, praecipue Graeciae civitates, quae adeo sunt coniunctae, ut unum regnum efficiant. Neque venit civitatum bona conditio nisi a bona conditione principum et rectorum, sicut vidimus in urbibus Lacedaemone et Athenis. Regnabant enim in altera reges (tyranni) et instituebant leges, praetores (*ἄρχων*) in altera. Ita aedificatae hae urbes amplamque famam nactae sunt. Ex altero vero parte discordia quoque et nequitia et corruptio, quae in civitates ingruerunt, principum et rectorum pravo regimine orta sunt, cum ei in vanis libidinibus curas consumpserint neglexerintque civitatis

gubernationem, ex qua gloria paritur, quae manet in terra usque in aeternitatem.

5. Oportet porro regem subditos non opum et victus et pecorum sed familiae et amicorum loco habere neque petere honorem populo invisum sed eum, quo pulchris facinoribus rectoque regimine dignus sit; eundemque duas res habere coniunctas, quae sunt amplissimae momento et maximae potentia, nempe amorem populi et admirationem. Omnes quidem principes optant, ut hasce res nanciscantur, perraro tamen nanciscuntur; multo magis fere semper in contrarium incidunt, scilicet in magnum odium et contemptionem, quippe qui velint, ut sibi solis vindicent commoda solique utantur bona vitae conditione optentque, ne quis particeps sit illorum bonorum neve secum de iis certet. Accipitur vero hoc a populo loco malorum facinorum, quae sibi accidant, et invisi, quod se assequatur. Quamobrem id odii et malevolentiae existit adversus ipsos reges eorumque facinora ex duritie et nequitia genita, quod causa est, cur contemnantur et vituperentur. Idcirco eum, qui imperio ornatus sit, possidere has ambas res oportet; hisce enim legitime occupat et imperium et eius dignitatem, ut regi se ab eo patiatur populus et libenter oboediat. Contra si eis caret, non solum vituperant eum homines et despiciunt verum etiam oderunt et in eum irruunt. Spero autem tibi praesto esse hasce ambas virtutes; neque dico hoc homini, qui re potitus sit, qua non sit dignus; potius illum, qui hoc dicto usus sit, vituperatione digniorem duxerim quam laude.

6. Neque te iratum reddat in subditos, si audis esse inter eos, qui tecum in studiis tuis laudabilibus certent vel studeant, ut auctoritate te aequent, quamdiu non extiterit manifesta rebellatio. Plebis enim studia nullius momenti sunt; ii vero, qui tecum certant, oriundi sunt ex summa nobilitate, quorum cogitationes et sublimia studia ad id properant, praesertim cum iam pulchrum tentamen sustentaverint. Quae cum ita sint, optimum iis tibi in iis est praestantiam tuam super eos hominesque universos apparere, cum eos superes in ea re, in qua tecum contenderunt, ut tandem pareant agno-

scentes praestantiam tuam et imitantes virtutes tuas. Neque vero debet is, qui iustitiae studet, aliquem metuere; quin etiam dicunt eos, qui iusti sint, ne Deum quidem ipsum timere, quod ita intelligendum puto, non inesse in iis timorem Dei, quippe qui benevolentiam eius quaerant iussaue exequantur.

7. Neque sum nescius indolem tuam vario quodam modo formatam esse ex iustitia et superbia, ex clementia et asperitate et hoc inprimis efficere, ut homines te admirentur, maxime vero, si successum gubernationis tuae et eventum facinorum tuorum respiciant; nam spes eorum firmiter posita est in regni tui diuturnitate et pace terrarum sub imperio tuo.

Praeterea haud ignoro te respuere delatorum malificia et abhorrere a rerum vanarum consuetudine; haec vero tua virtus utilis est cum universo populo tum optimis et sapientissimis.

Ceterum est mea de te opinio te diligere dignitatem, inprimis si ea a potentibus et fortibus viris tibi contingat, et optare, ut eam non timore sed verecundia eorum consequare; hoc vero certe tibi continget, si praefers, qui te honorent et adulentur et familiaritatem tuam quaerant. Perquisitio contra omnis rei, quaecumque ad te pervenit, et perscrutatio causarum, quae ad te accedunt, donec discernas, quid sit dignum, quid indignum, sunt negotia regno tuo indigna, quod in hac re delatores abs te arcere nequeas; potius id arcebis, si animadverteris in eum, quem huic rei deditum cognoveris, et poena eum affeceris et gravi duritie, ut sit monitio eorum, qui eius similes sunt, et deterrimentum aliorum, ne idem delinquant.

8. Puto porro apte fieri ad conservandam pacem et ad aeternitatem gloriae tuae, quod Persas sollicites; hoc enim merito iis fit; nam aequum est te facere cum homine, sicut ipse fecit. Recta enim populi studia et firmatio reverentiae in animis nobilium, qua tibi libenter oboediant, res difficilis est, quae non conficitur nisi longo temporis spatio et continua nonnullarum aetatum serie; nam si inveniunt socordiam et offertur iis occasio, arripiunt eam habentque, qui eos in hac re iuvent; quare est prudentis regiminis recta remedia quae-

rere, quae et bonae conditionis diurnitatem et vitam tumultu et seditionibus liberam praestent. Oportet ergo te, quamvis sint multa facinora tua, res abs te gestae clarae, haec semovere pulchra civitatum conditione instituenda; haec vero existit coniunctione duarum rerum, quae sunt pulchritudo status et integritas vitae; harum enim coniunctione efficitur salus et recta conditio civitatum. Quae si seiunguntur, prima efficit, ut voluptatibus homines sese dent et corruptioni nequitiaeque inserviant, altera vero, ut abstineant quidem a rebus illicitis et indecoris bonamque agendi rationem sequantur sed hoc in calamitatibus et afflictionibus. Itaque oportet eum, qui sibi vindicet amplitudinem imperii magnamque potentiam, operam dare, ut efferat coniunctionem ambarum rerum ita quidem, ut altera alteri non cedat.

9. Ac mihi quidem videntur esse in quavis re perfecta duae actiones vel agendi rationes, prima huius rei comparatio, altera usurpatio; quarum primam iam consecutus es; acquisivisti enim praeter illa, quae a patre tuo ad te pervenerunt, magnam laudem et occupasti immensas terras et nactus es gloriae amplitudinem et nominis nobilitatem, quantam adhuc nemo nostra aetate. Restat ergo tibi altera, usurpatio rerum earum, quas cosecutus es, rectaque earum institutio. Nos vero certe speramus fore, ut hoc tibi contingat amore tuo generositatis et adspiratione celsitudinis et autione virtutum earum, quae iam antea in te inerant. Haud quidem ignoro animum tuum pugnas et expeditiones appetere, quas distulisti et ad quas paratus es — et profecto! successum praebuit Deus studiis tuis et paravit tibi locum — reminiscaris tamen etiam damnorum, quae occurrunt huic felicitati ex fortunae mutatione et cotidianis calamitatibus et recorderis eius rei in certaminibus tuis pro te ipso et terris tuis susceptis.

10. Rex es factus tui generis hominum et ad egregium regnum pervenisti; quod vero nobilitare possit principatum tuum et augere amplitudine, hoc est, ut praestantes reddere studeas subditos sisque rex civium bonorum et laudandorum non malorum et vituperandorum. Tyrannis enim, etsi variis de causis vituperatur, praecipue tamen vituperatione digna est

propterea, quod imperii auctoritatem diminuit; hoc vero eo fit, quod tyrannus imperium suum in subditos exercet tamquam in servos, non tamquam in liberos ingenuosque. Regnum autem in liberos homines praestantius est regno in servos. Talis igitur tyrannus eiusmodi est, ut malit pecora pascere quam regere homines; qua tamen in re recte se agere eiusque emolumentum capere arbitratur. En! habes statum habes agendi rationem tyranni, qui gloriam et laudem imperii quaerit et contrarium nanciscitur. Nihil enim a regimine remotius est quam tyrannis, quia tyrannus in conditione domini est, rex vero in conditione patris. Sic rex Persarum unumquemque appellabat servum et incipiebat a filiis suis; haec vero res minuit imperii auctoritatem, quod regnum in liberos et bonos homines melius est dominatione in servos quamvis multos. Plerique autem, qui ante hoc tempus regnabant, id tantum agebant, ut commodis principatus et imperii fruerentur, prout erant; ideoque auctoritatem consecuti sunt ex timore, non amore; haec vero auctoritas brevis est et caduca, quod simul cum tyranni morte extinguitur. Ea contra laus, quae pulchris facinoribus paritur, aeterna manet nulloque peritura tempore. Huic laudi te studere decet, quia neque in pristina tua vita neque sub tuo imperio aliquid detrimenti vel negligentiae invenitur; immo vero est regnum tuum nobile, quaeque tibi elaborata sunt, pulchra et decora. Quae cum ita sint, obsequaris oportet precibus nostris et exequaris, quae praescripsimus.

11. Duabus imprimis rebus studeas, quae sunt quasi rei nodi, ut sis iustus et clemens. Nam duae tantum rationes diversae sunt, quae diurnitatem imperii praestent. Multi enim homines scilicet stulti non parent principi nisi timore commoti; quare huic opus est severitate adversus eos. Contra boni oboediunt adducti verecundia et amore; quare opus est principi adversus hosce intelligentia et benignitate, ut ita constet regnum oboedientia ab altera parte, ab altera necessitate. Non vero decet principem viros claros et obscuros uno eodemque modo tractare sed reddere, quod cuique conveniat. Omnes homines volunt esse sibi dominum indole quadam omnibus

communi perducti; optant autem, ut ille iustus et naturae conveniens sit. Rex enim si non iustus est, non rex est, immo invisus tyrannus. Tu vero dignus es, qui populi studia principatui concilies eo, quod gustandum iis das regiminis tui praestantiam removesque ab iis ingrati violentiam. Servi enim, si offeruntur emptoribus non quaerunt eorum divitias et dignitatem sed tantum duritiam et crudelitatem. Ingenui vero digni sunt, qui hoc incommodum effugiant, si rex eius causa est, donec petentes eum regno depellant. Contra si rebellionem repressisti, deponito cum belli instrumentis instrumenta quoque violentiae, quod in illa quidem conditione hostes erant; in hac vero alii facti sunt; idcirco oportet, ut violentiae loco misericordem, asperitatis loco clementem adversus eos te praebes. Neque vero decet regem odisse nobiles sed cum hosce tum universum populum pulchris facinoribus cumulare, ut perveniat e generis nobilitate in nobilitatem eam, quae generositate et bonis moribus paritur. Scias porro nobiles dignitatis iniuriam aegrius ferre quam opum et corporum iacturam; libenter enim et bona sua et corpora largiuntur, dummodo dignitatis et auctoritatis iniuria ne afficiantur. Ut hoc minime decet regem sic ne amicos quidem immerito vexare, cum id vilis animi et negligentiae indicium sit. Item debet rex irae modum nosse, ne sit ira eius dura et aspera neve rursus debilis et infirma; illud enim ex ferarum, hoc ex infantium more est.

12. Nec sum securus, ne in accipiendis consiliis in idem incidas, quod plurimis hominibus accidere solet. Plerique enim, si consuluntur, non id consilium dant, quod ex re consulentis sed quod ex sua re est, neque id, ex quo in nova illa re quidquam commodi affluere possit, sed quod sibi solis emolumentum pariat. Ego vero tibi commendo, ut imiteris consilium illius, qui dicit: Profecto, perpetratio boni semper praestantior est perpetratione mali. Enixe porro operam des, ut proximis tuis ultima praestes. Justitia enim est laudata et magni aestimata non solum apud sapientes universos verum etiam apud stultos. Fieri vero potest, ut coerceantur mala remediis bonis aut malis. Tamen haec altera ratio praestan-

tior est quod coercere mala malo asperum, bono autem benignitas est. Eius quoque reminiscaris, quod de homine quodam narratur, cui alter consilium dabat, cum dicebat: si ego essem tu, necarem hunc hominem; cui ille respondens: sed quia non sum tu, eum non necabo. Neque decet te accipere consilium, quod dignitati tuae non conveniat; neque rationem habeas hominum eorum, quorum consilia sunt vilia, opiniones vanae, qui miscent apud te negotia teque adversus populum incitant. Non enim aequitatem efferunt inter hanc rem et sese ipsos vel arripienda sibi emolumenta. Sed perosum quoque te reddunt in rebus gerendis, quia ex tua gratia eorum potestas est. Equidem prorsus aliter de commodo tuo iudico. Non enim decet te eorum agendi rationem imitari, quod non similis et eadem tibi atque illis res est, neque res ea, quae illis affert sive gloriam sive ignominiam, tibi idem affert. Omnia vero, quaecunque possident, munificentia et generositate tua nacti sunt, quia illis, qui nihil possidebant, omnia, quae postea habent, lucri loco sunt.

13. Potes autem asservare apud homines facinorum pulchritudinem, quorum laus divulgabitur in omnes terrae regiones. Quare arripe occasionem eius in tempore; id enim, quod homines admirantur, est morum constantia et studiorum magnificentia, atque id, cuius gratia diligunt, modestia et facilitas est. Scias porro res, quibus pariat memoria et ampla fama, esse tres, primam pulchritudinem morum, alteram bellorum et pugnarum experientiam, tertiam prosperitatem civitatum. Neque recusaveris, quominus edicas res eas, quae populum contentum reddere possint. Homines enim libentius oboediunt persuasioni quam violentiae; neque arbitratus sis auctoritatem tuam hacce re diminui; immo vero altitudo tua et dignitas augetur, si, quamvis sit tibi potestas, persuadere studeas. Infirmorum enim amor adulatio habetur, contra potentium amor modestia magnusque animus; ne igitur abstinueris ab amore populi, ut tibi ipsi amor et honor ab iis contingat. Scias quoque tempus afficere quasvis res ideoque dissolvere facinora et abolere res gestas et delere memoriam praeter eam, quae in animis confirmata est amore, quem here-

ditatis quodam iure posteritas possidet. Studeas ergo, ut nanciscare memoriam pulchram; quae non moritur, sciasque in eas civitates, quas intraverit fragilitas et corruptio, hasce pervenisse principum et rectorum pravitate, quippe qui arreptionem commodorum praetulerint curae reipublicae et ordinationi legum civitatum et curas converterint in accelerandis voluptatibus libidinibusque et civitatis regimen neglexerint, cuius vestigia manent in terra per omne aevum. Tuarum vero rerum exitum fore prosperum spero teque operam collocaturum in acquirendis illis moribus apud Graecos laudatis, praesertim cum egregie cum tua indole consentiant. Studeas ergo, ut acquiras memoriam, quae non extinguatur, eo, quod in hominum animis deponas amorem, quo facinorum tuorum memoria asservetur et nobilitentur laudabilia tua studia in aeternum, nec non veneratio memoriae tuae et utilitas praestantis tui regiminis. Ac salus ad te et supra te!

Quamquam ex omnibus sententiis nulla cum aliqua probabilitate Aristoteli abiudicari potest, tamen Lippert tribus de causis de fide huius epistulae dubitavit eamque a rhetore quodam fictam esse dixit, qui ad hanc epistulam conscribendam scripta Aristotelis excusserit. Ac primum quidem ex temporum ratione hanc epistulam ab Aristotele conscriptam esse posse negat; initium enim epistulae sic vertit: „pervenit autem ad nos nuntius te post morbum, in quem incidisti Babylone“ etc. atque morbum illum intellegi vult, quo Alexander paulo post decessit: multo autem verisimilius esse dicit Aristotelem „post primos belli annos talia regendi praecepta ad regem daturum, non vero finem belli expectatum fuisse“. Deinde notum esse dicit Aristotelem post Callisthenis damnationem in similtate fuisse cum rege; „hoc vero respiciens“, inquit, „quis putaverit ad tantam adulatorem eum processisse, ut etiam post illud facinus ad regem epistulam dederit, qua iustitiam eius et clementiam summis laudibus efferret“. Tertiam denique causam, cur epistulam fictam esse credat, ex sermonis proprietatibus colligit: totam enim epistulam nimis artificiose conscriptam esse atque rhetorem redolere. Quas Lipperti causas equidem satis debiles

esse puto atque si demonstravero eum prima epistulae verba non recte intellexisse argumentatio eius per se corruet. Sed ad tempus, quo epistula data est, recte definiendum necesse est res in epistula commemoratas paulo diligentius inspiciamus. Ac terminum quidem, qui dicitur, post quem scripta sit epistula, colligere possumus ex extremo capite 11; scriptum enim legimus ibi haec: „item debet rex irae modum nosse, ne sit ira eius dura et aspera, neve rursus debilis et infirma; illud enim ex ferarum, hoc ex infantium more est“. Quae ad Cliti necem spectare iam Lippert rectissime suspicatus est, Clito autem nex a. 328 Maracandae illata est. Quae antecedunt verba de ratione qua se gerere oporteat regem adversus nobiles, optime accipi possunt de caede Parmenionis Philotaeque et de indignatione Macedonum, quae orta erat ex eo, quod Alexander post Dareum devictum Persarum mores sequi coeperat. Jam videamus, num etiam terminus ante quem epistula data sit erui possit. Ac terminum illum equidem ex epistulae exordio colligo: „pervenit autem ad nos nuntius te post pugnam, quae facta est apud Arbela, post victorias, quas reportasti de Dareo iisque qui partes eius sequebantur, post pericula illorum bellorum, quae subiisti, post aerumnas, quas pertolerasti, coepisse operam navare in aliusmodi rebus, quae maiestati tuae et altitudini conveniunt; sed necesse est te antea vacare contemplationi rerum earum, quae praestant bonum civitatum statum, imprimis ferendarum legum“ etc. In hoc exordio ne verbo quidem expeditionis Indicae fit mentio, immo de Dareo iisque solis, qui eum sequebantur, devictis loquitur, quod Aristoteles vix omisisset post expeditionem illam susceptam. Equidem verba, quae attuli, sic interpretor: Aristoteles audiverat Alexandrum Dareum satrapaeque eius devicisse atque toto Persarum regno in dicionem suam redacto cepisse adeundae Indiae; qua re cognita per epistulam eum cohortatur, ut antea vacet contemplationi rerum earum, quae praestent bonum civitatum statum, imprimis ferendarum legum. Qua argumentatione adducimur, ut epistulam a. 328/7 scriptam esse sumamus neque quicquam nos cogit, ut Callisthenis damnationem iam factam

esse dicamus. In tempus illud omnia quae in epistula commemorantur optime quadrant. At hic dixerit quispiam, tu ad sententiam tuam firmandam coniectura uti debuisti. Sane, sed mutatio illa „Arbelis“ pro „Babylone“ est levissima et verbum illud, quod verbo „pugna“ verti, proprie notionem „casus“ habet atque et de pugna et de morbo accipi potest; si vero traditam lectionem „Babylone“ servamus ineptiae fiunt atque de Aristotele pessimum facere iudicium cogimur. Si sententia mea vera est, id quod non dubito, primum et alterum Lipperti argumentum corruunt, tertium vero ne Lippert quidem magni momenti esse dicit: quod autem initium epistulae „multo artificiosius quam pro hoc philosopho constructum esse“ dicit erravit vir doctissimus, nam ex Aristotelis libro de Ἀθηναίων πολιτείᾳ nuperrime a Kenyon edito didicimus quam eleganter atque artificiose Aristoteles scribere potuerit neque sine causa Simplicius, Demetrius, aliique rhetores epistulas eius talibus laudibus extulerunt. Accedit quod is qui epistulam conscripsit tam penitus novit res iis temporibus gestas, ut de rhetore mea quidem sententia ne cogitari quidem possit; praeterea ex verbis scriptoris in aliam linguam conversis de eius sermonis proprietatibus iudicare res est una omnium incertissima. Jam vero quae ad res ab Alexandro Magno gestas pertinent paucis inspiciamus epistulae ordine servato¹⁾. Ac de

1) De sententiis philosophiae non agam. Nissen in disputatione, quam saepius iam commemoravi, Rh. Mus. XLVII p. 177 sq. etiam de epistula verba fecit atque complures locos ex Politicis Aristotelis attulit, qui cum epistula prorsus congruunt. Rectissime Nissen de fide epistulae non dubitavit, sed tempus, quo data esset, mea quidem sententia non recte definiit: putat enim verbis „casus in quem incidisti Babylone“ significari funus Hephaestionis non ita multo ante regis mortem Babylone celebratum, quod vix probandum esse puto. De Aristotele Nissen sic iudicat: „die Beziehungen zum König erkalteten (sc. post Callisthenis damnationem), das ehemalige Vertrauen desselben war für immer verscherzt. Aber Aristoteles . . . konnte den König für die Ausführung der Pläne, mit denen er sich zum gemeinen Besten trug, nicht entbehren und verfügte über die höfliche Geschmeidigkeit, über heikle Fälle hinwegzugleiten“. Quod iudicium equidem minime probare possum atque vereor ne Nissen nimis male

initio quidem iam dixi. Quod Aristoteles c. 6 Alexandrum cohortatur, ne adversus nobiles suos aemulationis invidiaeque stimulis agitetur, id imprimis ad Antipatrum spectare puto; similiter quae c. 7 de calumniis delationibusque non credendis scribit, imprimis ad Antipatrum referenda sunt, sed quin etiam ad alios nobiles Macedones spectent nullus dubito. C. 8 Aristoteles Alexandro consilium dat Persas ex sedibus suis expellendi; qua de re ex aliis scriptoribus nihil discimus. C. 9 Aristoteles scribit se non ignorare Alexandrum ad novas expeditiones paratum esse, quod quin de expeditione Indica dictum sit non dubito. C. 10 ni fallor Aristoteles monet, ne Persarum mores Alexander induat, c. 11 autem adhortatur, ut iustus et clemens sit, et in fine capitis sine dubio Cliti Parmenionis Philotaeque caedem significat. Nonnullae sententiae ex hac epistula et ipsius epistulae argumentum commemorantur inter „Dicta Aristotelis“ in Collectione Salernitana III, Neapel 1854 p. 114. Lippert, Dressel Philol. XVI p. 353, Rose p. 408 epistulam λόγον συμβουλευτικόν atque eundem librum esse putant, qui in indice scriptorum Aristotelicorum περι βασιλείας appellatur, falso mea quidem sententia: ad epistulam optime quadrat, quod sententiae eius non gravioribus argumentorum momentis inter se conectuntur, id quod in oratione mirum esset. De fide epistulae omnino non est dubitandum, cum nihil insit, quod suspicionem moveat; quare Lipperti disputatio, quando haec epistula ficta fuerit, missa facienda est.

Epistulas Aristotelis certe fictas, quas ne refutatione quidem dignas esse inter omnes homines doctos constat, omitto¹⁾.

de Aristotele iudicaverit. Quae Nissen contra Noeldekii coniecturam „Arbelis“ pro „Babylone“ protulit non magni momenti sunt.

1) Cf. E. Heitz l. l. IV 2 p. 321 sq.; Hercher, Epistolographi Graeci, Paris 1873 p. 172. De epistula rhetoricae ad Alexandrum praeposita cf. A. Ipfelkofer, Die Rhetorik des Anaximenes unter den Werken des Aristoteles, Würzburg 1889 p. 19 sq., qui contra V. Rose, De Arist. libr. ord. p. 100 et Arist. psepig. p. 136 optime docuit, epistulam illam non ab eodem esse compositam quo rhetoricam illam artem, quod Spengel, alii iam pridem dixerunt.

5. *Variae ad Alexandrum epistulae.*a) *Theopompi.*

(108) 1. Athen. XIII 595 abed: „Θεόπομπος δ' ἐν τῇ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολῇ τὴν Ἀρπάλου διαβάλλων ἀκολασίαν φησὶν· „ἐπίσκεψαι δὲ καὶ διάκουσον σαφῶς παρὰ τῶν ἐκ Βαβυλῶνος ἐν τῷ Πυθιονίκῳ περιέστειλεν τελευτήσασαν. ἡ Βακχίδος μὲν ἦν δούλη τῆς αὐλητρίδος, ἐκείνη δὲ Σινώπης τῆς Θράκης τῆς ἐξ Αἰγίνης Ἀθήναζε μετενεγκαμένης τὴν πορνείαν· ὥστε γίνεσθαι μὴ μόνον τριδουλον, ἀλλὰ καὶ τριπορνον αὐτήν. ἀπὸ πλείονων δὲ ταλάντων ἢ διακοσίων δύο μνήματα κατεσκεύασεν αὐτῆς. ὃ καὶ πάντες ἐθαύμαζον, ὅτι τῶν μὲν ἐν Κιλικίᾳ τελευτησάντων ὑπὲρ τῆς σῆς βασιλείας καὶ τῆς τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερίας οὐδέπω νῦν οὔτε ἐκεῖνος οὔτ' ἄλλος οὐδεὶς τῶν ἐπιστατῶν κεκόσμηκε τὸν τάφον, Πυθιονίκα δὲ τῆς ἐταίρας φανήσεται τὸ μὲν Ἀθήνησι, τὸ δ' ἐν Βαβυλῶνι μνῆμα πολὺν ἤδη χρόνον ἐπιτετελεσμένον. ἦν γὰρ πάντες ἤθεσαν ὀλίγης δαπάνης κοινήν τοῖς βουλομένοις γιγνομένην, ταύτης ἐτόλμησεν ὁ φίλος εἶναι σοῦ φάσκων ἱερὸν καὶ τέμενος ἰδρῦσασθαι καὶ προσαγορεῦσαι τὸν ναὸν καὶ τὸν βωμὸν Πυθιονίκα Ἀφροδίτης, ἅμα τῆς τε παρὰ θεῶν τιμωρίας καταφρονῶν καὶ τὰς σὰς τιμὰς προπηλακίζειν ἐπιχειρῶν“ μετὰ δὲ τὴν Πυθιονίκα τελευτήν ὁ Ἀρπαλος Γλυκέραν μετέπεμψατο καὶ ταύτην ἐταίραν, ὡς ὁ Θεόπομπος ἱστορεῖ, φάσκων ἀπειρηγένην τὸν Ἀρπαλον μὴ στεφανοῦν ἑαυτὸν, εἰ μὴ τις στεφανώσῃ καὶ τὴν πόρνην. „ἔστησέν τε εἰκόνα χαλκῆν τῆς Γλυκέρας ἐν Ῥωσσῷ τῆς Συρίας, οὐπερ καὶ σὲ καὶ αὐτὸν ἀνατιθέναι μέλλει. παρέδωκέν τε αὐτῇ κατοικεῖν ἐν τοῖς βασιλείοις τοῖς ἐν Ταρσῷ καὶ ὄρα ὑπὸ τοῦ λαοῦ προσκυνουμένην καὶ βασίλισσαν προσαγορευομένην καὶ ταῖς ἄλλαις δωρεαῖς τιμωμένην, αἷς πρέπον ἦν τὴν σὴν μητέρα καὶ τὴν σοὶ συνοικοῦσαν“ (de = 586 °). F. H. G. I 325.

Theopompum multas contra Chios ad Alexandrum epistulas scripsisse scimus ex Suida (s. v. Ἐφορος· ἐπέστελλέ τε πολλὰ κατὰ Χίων Ἀλεξάνδρῳ), ex Athenaeo (XIII 586 °:

ἐν ταῖς περὶ τῆς Χίου ἐπιστολαῖς)¹⁾ ex Dionysio Halicarnasensi (ep. ad Cn. Pomp. 6: Θεόπομπος ὁ Χίος . . . συνταξάμενος . . . ἐπιστολάς τε τὰς Χιακὰς ἐπιγραφόμενας)²⁾. De fide huius fragmenti non esse dubitandum inter homines doctos constat. De Harpalo similia narrant Diod. XVII 108, 4 sq. et Plut. Phoc. 22, qui monumentum Athenis a Charicle extractum triginta talentis stetisse dicit³⁾. Ad easdem epistulas Chias rectissime Mueller l. l. rettulit fragmentum apud Athen. VI 230 f: „Θεόπομπος δ' ὁ Χίος ἐν ταῖς πρὸς Ἀλέξανδρον συμβουλαῖς περὶ Θεοκρίτου τοῦ πολίτου τὸν λόγον ποιούμενός φησιν· „ἐξ ἀργυρωμάτων δὲ καὶ χρυσῶν πίνει καὶ τοῖς σκεύεσιν χρῆται τοῖς ἐπὶ τῆς τραπέζης ἑτέροις τοιούτοις, ὁ πρότερον οὐχ ὅπως ἐξ ἀργυρωμάτων [οὐκ] ἔχων πίνειν ἀλλ' οὐδὲ χαλκῶν, ἀλλ' ἐκ κεραμῶν καὶ τούτων ἐνίοτε κολοβῶν“. De hac Muellieri sententia falso dubitavit Westermann l. l. p. 9; scribit enim in epistula illa Theopompus de Theocrito Chio, quem adversas Theopompo in republica secutum esse partes iam supra p. 33 dixi⁴⁾, quare verisimillimum est Theopompum etiam adversarium suum apud Alexandrum per epistulas criminatum esse. Droysen I 2 p. 239 epistulas illas non obsignatas (offene Sendschreiben) fuisse dixit, nescio an recte; non magis obsignatae erant Isocratis Φίλιππος⁵⁾ atque eiusdem epi-

1) Sic enim recte coniecit Schweighaeuser et iure probaverunt coniecturam Westermann VIII p. 8, Schaefer, Dem. III p. 306 not. Mueller, F. H. G. I introd. p. LXXIII περὶ Χίων scripsit, sed coniectura illa mihi non verisimilis videtur esse.

2) Sic enim depravatam codicum lectionem τὰς ἀρχαῖκας γραφόμενας optime correxit Westermann l. l.

3) Omnes homines doctos, qui de Harpalo verba fecerunt, enumeravit Schaefer, Dem. III p. 305 not. 1.

4) Cf. etiam F. H. G. II p. 86, Droysen I 2 p. 240 n. 1, Schaefer, Dem. III p. 354 n. 4.

5) Isocrates ipse in epistula ad Philippum (ep. III) Φίλιππον appellat συμβουλάς. Adler p. 8 iniuria hanc epistulam non obsignatam („offenes Sendschreiben“) inter epistulas esse recensendam negavit; ipse secum pugnat homo doctus, cum p. 36 similem epistulam Isocratis non obsignatam („offenes Sendschreiben“) commemoret, cum Theopompi missam fieri voluerit.

stulae ad Philippum et Alexandrum. Contra Theopompi scriptum „συμβουλευτικὸς πρὸς Ἀλέξανδρον“ (Cic. ad Att. XII 40) non ad epistulas illas rettulerim, quod ex ipso Ciceronis loco colligo; scriptum enim legimus l. l. haec: „συμβουλευτικὸν saepe conor, nihil reperio; et quidem mecum habeo et Ἀριστοτέλους et Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον, sed quid simile? Illi et quae ipsis honesta essent, scribebant, et grata Alexandro. Ecquid tu eius modi reperis?“ Cf. etiam ad Att. XIII 28: nam quae sunt ad Alexandrum hominum eloquentium et doctorum suasionem, vides, quibus in rebus versentur; adulescentem incensum cupiditate verissimae gloriae cupientem sibi aliquid consilii dari, quod ad laudem sempiternam valeret, cohortantur“. In tali scripto Theopompum de Theocrito questum esse vix est credendum¹⁾.

b) Demosthenis.

(109) 1. Aesch. κατὰ Κτησ. 162: οὗτος, ὡς ἐγὼ ἀκούω, ἠγνοημένος ὅστις ποτ' ἐστὶ καὶ πῶς βεβιωκώς, τὸν Ἀλέξανδρον ὑποτρέχει καὶ πλησιάζει ἐκείνῳ. διὰ τοῦτου γράμματα πέμψας (sc. Δημοσθένης) ὡς Ἀλέξανδρον ἄδειαν τινα εὔρηται καὶ διαλλαγὰς καὶ πολλὴν κολακείαν πεποιήται.

Aeschines narrat legatos Atheniensium, qui Alexandrum ex Aegypto reversum Tyri adiissent, Aristionem Aristobuli filium Plataeensem, Demostheni amicissimum, apud Alexandrum invenisse, quem quin Demosthenes ad regem misisset non dubitarent; Aristionis opera Demosthenem cum rege in gratiam rediisse. Eadem Hyperidem in oratione contra De-

1) Nissen, Rh. Mus. XLVII p. 175 de hac re haec adnotavit: „mit dem Fortgang seiner Eroberungen tauchte die schwere Frage auf, in welches Verhältniss die unterworfenen Völker zum abendländischen Reiche treten sollten. Der König hat sich von den 3 berühmtesten Gelehrten, zugleich Wortführern verschiedener Richtungen, Denkschriften darüber ausarbeiten lassen: von dem genialen Isocrateer Theopomp (Cic. ad Att. XII 40, 2), von Xenokrates, dem Haupte der Akademie (Plut. gg. Kolot. 32, 9. Diog. Laert. IV 2, 14), von Aristoteles etc.“ Nescio an recte.

mosthenem habita dixisse narrat Harp. s. v. Ἀριστίων verisimillimeque, ubi hoc dixerit Hyperides, ostendit Sauppe, Philol. III p. 626 i. e. c. 18 (Blass). Aristionem ad Hephaestionem missum esse tradit Marsyas ἐν ε' τῶν περὶ Ἀλέξανδρον¹⁾. De Aristionis igitur missione dubitari non potest, sed alia est quaestio, num Demosthenes re vera epistulas ad Alexandrum vel Hephaestionem miserit. Quod nihil fuisse nisi rumorem incertum ex ipsis Aeschinis verbis perspicuum est: addit enim εἴπερ ἀληθῆ ἐστὶν ἃ λέγεται. Rumores illi igitur quanti faciendi sint nescimus, certe nihil notum est, qua de re Aristionem miserit Demosthenes, si quidem re vera a Demosthene erat missus. Cf. Schaefer, Dem. III p. 195.

c) Isocratis ep. V.

Ἀλεξάνδρῳ.

(110) 1. Πρὸς τὸν πατέρα σου γράφων ἐπιστολὴν ἄτοπον ᾤμην ποιήσειν, εἰ περὶ τὸν αὐτὸν ὄντα σὲ τόπον ἐκείνῳ μήτε προσερώ μὴτ' ἀσπάζομαι, μήτε γράψω τι τοιοῦτον ὃ ποιήσει τοὺς ἀναγνόντας μὴ νομίζειν ἤδη με παραφρονεῖν διὰ τὸ γῆρας μὴδὲ παντάπασι ληρεῖν, ἀλλ' ἐτι τὸ καταλελειμμένον μου μέρος καὶ λοιπὸν ὃν οὐκ ἀνάξιον εἶναι τῆς δυνάμεως ἦν ἔσχον νεώτερος ὢν.

2. Ἀκούω δὲ σὲ πάντων λεγόντων, ὡς φιλόανθρωπος εἶ καὶ φιλαθήναιος καὶ φιλόσοφος, οὐκ ἀφρόνως ἀλλὰ νοῦν ἔχόντως. τῶν τε γὰρ πολιτῶν ἀποδέχεσθαι σε τῶν ἡμετέρων οὐ τοὺς ἡμεληκότας αὐτῶν καὶ πονηρῶν πραγμάτων ἐπιθυμοῦντας, ἀλλ' οἷς συνδιατρίβων οὐκ ἂν λυπηθείης, συμβάλλων τε καὶ κοινωνῶν πραγμάτων οὐδὲν ἂν βλαβείης οὐδ' ἀδικηθείης, οἷς περ χρὴ πλησιάζειν τοὺς εὖ φρονούντας. (3) τῶν τε φιλοσοφῶν οὐκ ἀποδοκιμάζειν μὲν οὐδὲ τὴν περὶ τὰς ἐριδας, ἀλλὰ νομίζειν εἶναι πλεονεκτικὴν ἐν ταῖς ἰδίαις διατριβαῖς, οὐ μὴν ἀρμόττειν οὔτε τοῖς τοῦ πλήθους προεστῶσιν οὔτε τοῖς τὰς μοναρχίας ἔχουσιν· οὐδὲ γὰρ συμφέρειν οὐδὲ πρέπειν τοῖς

1) Cf. Harp. s. v. Ὑπερείδης κατὰ Δημοσθένους· . . . ἐπέμφθη δ' ὑπ' αὐτοῦ πρὸς Ἡφαιστῖωνα ἕνεκα διαλλαγῶν, ὡς φησι Μαρσύας ἐν ε' τῶν περὶ Ἀλέξανδρον.

μεῖζον τῶν ἄλλων φρονούσιν οὐτ' αὐτοῖς ἐρίζειν πρὸς τοὺς συμπολιτευομένους οὔτε τοῖς ἄλλοις ἐπιτρέπειν πρὸς αὐτοὺς ἀντιλέγειν. (4) ταύτην μὲν οὖν οὐκ ἀγαπᾶν σε τὴν διατριβήν, προαιρεῖσθαι δὲ τὴν παιδείαν τὴν περὶ τοὺς λόγους οἷς χρώμεθα περὶ τὰς πράξεις τὰς προσπιπούσας καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν καὶ μεθ' ὧν βουλευόμεθα περὶ τῶν κοινῶν · δι' ἣν νῦν τε δοξάζεις περὶ τῶν μελλόντων ἐπεικῶς τοῖς τ' ἀρχομένοις προστάττειν οὐκ ἀνοήτως, ἀ δὲ πρᾶττειν ἑκάστους, ἐπιστήσει, περὶ δὲ τῶν καλῶν καὶ δικαίων καὶ τῶν τούτοις ἐναντίων ὀρθῶς κρίνειν, πρὸς δὲ τούτοις τιμᾶν τε καὶ κολάζειν, ὡς προσήκόν ἐστιν ἑκατέρους · σωφρονεῖς οὖν νῦν ταῦτα μελετῶν · (5) ἐλπίδας γὰρ τῆ τε πατρὶ καὶ τοῖς ἄλλοις παρέχεις, ὡς ἐὰν πρεσβύτερος γενόμενος ἐμμείνης τούτοις, τοσοῦτον προέξεις τῇ φρονήσει τῶν ἄλλων, ὅσον περ ἔπατήρ σου διενήνοχεν ἀπάντων.

De Isocratis epistulis Baiter et Sauppe, Orat. Att. praef. ad Isocr. p. VI recte dixerunt: „quae epistulae quin ab Isocrate scriptae sint, non magis potest dubitari, quam quin orationes, de quibus non potest“. Elocutio enim sermonisque consuetudo prorsus est Isocratea atque hiatus cum tanta diligentia in hac quidem epistula est evitatus, ut ne unum quidem exstet hiatus exemplum. Quare quin epistula haec sit vere Isocratea nullus dubito¹⁾. Jam vero videamus, num quo tempore epistula scripta sit accuratius definiri possit. Isocrates scribit, se una cum hac epistula ad Philippum patrem περὶ τὸν αὐτὸν ὄντα τόπον epistulam dedisse; porro ex epistula discimus Alexandrum esse puerum discendi cupidissimum. Quod Isocrates scribit valde se gaudere, quod Alexander eloquentiam dialecticae praeferat, id nihil esse nisi aculeos in Aristotelem emissos iam Brequigny recte vidit, cui iure assensu sunt Spengel, Blass, alii. Aristoteles anno 342 a Philippo in Macedoniam invitatus est, ut Alexandri educationi

1) Cf. etiam F. Blass, Gesch. d. att. Ber. II 1 p. 300; E. Benseler, De hiatu p. 58; (Brequigny) vie des anciens orateurs grecs I Paris 1752 p. 119; L. Spengel, Anaxim. ars rhet. p. 93; St. Croix, exam. p. 201, alios, qui omnes de fide non dubitaverunt. Westermann, l. l. V p. 12 sq. et W. Christ, Litgesch. fw. Muellers Hdb. VII² p. 330 litem sub iudice esse dixerunt neque quid ipsi sentirent exposuerunt.

praeesset: ergo si Brequignii coniectura vera est, post quod tempus epistula scripta sit, accuratius definire possumus. Blass l. l. coniecit epistulam fine a. 342 ad Alexandrum missam esse una cum Isocratis epistula II ad Philippum: Philippus enim in epist. II gravi vulnere adfectus esse dicitur et Blass ob eam ipsam rem Alexandrum ex Macedonia accitum esse putat¹⁾. Quae coniectura non est verisimilis. Sauppe l. l. contra epistulam a. 340/339 scriptam esse putat, sed tum de Alexandri studiis Isocrates vix ita scripsisset, ut in epistula scriptum legimus: Alexander tum iam duodevicesimum aetatis annum agebat atque a patre regni procurator factus erat. Certe intra annos 342—340 epistula scripta est. De hac epistula idem valet, quod Koehler de epistula ad Philippum adnotavit: „der Brief an Philipp giebt sich als Privatbrief, war aber gleichwohl für die Oeffentlichkeit bestimmt so gut wie das offene Sendschreiben an den macedonischen König und andere publicistische Schriften desselben Verfassers. Isocrates selbst beruft sich in seiner letzten Schrift, dem Panathenaios, auf eine Stelle in dem Briefe an Philipp (Pan. 64 = ep. II 16; cf. Blass l. l. p. 299).“ Epistulam ad Alexandrum ab Isocrate ipso vulgatam esse ex ipso initio perspicuum est: γράψω τι τοιοῦτον ὃ ποιήσει τοὺς ἀναγκόντας μὴ νομίζειν ἤδη με παραφρονεῖν etc.

d) Dioxiippi.

(111) 1. Diod. XVII 101, 4: γράψας πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον ἐπιστολὴν περὶ τῶν καθ' αὐτοῦ μεμηχανημένων, ταύ-

1) Rectissime de tempore, quo epistula scripta sit, iudicat U. Koehler, Sitzber. d. Berl. Acad. 1892 p. 499 n. 1: „Der Brief muss in der ersten Zeit nach der Ankunft des Aristoteles in Makedonien geschrieben sein. Dass Isokrates in demselben Alexander als gutes Kind behandelt, könnte Pedanterie sein, aber es kommt hinzu, dass weder des Sieges Alexanders über die Maider noch der Regentschaft gedacht ist. Der Schein, dass der Brief gleichzeitig mit dem ersten der erhaltenen Briefe an Philipp (Isocr. ep. 2) sein müsse (Blass, Die att. Ber. 2 Abth. 1 S. 300), ist trügerisch; die Worte περὶ τὸν αὐτὸν

την μὲν ἐνετείλατο τοῖς ἰδίοις δοῦναι τῷ βασιλεῖ, αὐτὸν δ' ἐκ τοῦ ζῆν μετέστησεν . . . ὁ δὲ βασιλεὺς ἀναγνοὺς τὴν ἐπιστολὴν χαλεπῶς ἤνεγκεν ἐπὶ τῇ τάνδρῳς τελευτῇ. Cf. Curt. IX 7, 25; Ael. var. hist. X 22.

Dioxippus pugil nobilis, quem Olympia vicisse scimus ex Aeliano (var. hist. XII 58), Plutarcho (de garr. 12 p. 521^b), Diogene Laertio (VI 2, 43) inter comites Alexandri erat; cf. etiam Athen. VI 251^a ex Aristobulo (frg. 28^b M.) Is a Corrhago Macedone quodam ad pugnam provocatus insigni certamine eum vicit, sed propter hanc victoriam in odium Alexandri venit; denique ab hominibus invidis falso furti coargutus se ipse interemit litteris ad Alexandrum de falsis criminationibus conscriptis. De re non est dubitandum¹⁾, sed epistulam scriptoribus non praesto fuisse non est quod demonstratur.

e) Androcydis.

(112) 1. Plin. XIV 58: nec alienum fuerit commemorare hoc in loco, quod Androcydes sapientia clarus ad Alexandrum Magnum scripsit, intemperantiam eius cohibens: „vinum poturus, rex, memento bibere te sanguinem terrae. cicuta homini venenum est, cicutae vinum“.

Idem Androcydes commemoratur apud Plinium XVII 240, ubi medicinam contra ebrietatem invenisse dicitur, et apud Athenaeum VI 258^b Ἀνδροκύδης ὁ ἰατρός. Ceterum de eo nihil habemus compertum, neque de hac epistula quicquam habeo quod dicam.

f) Pori et Taxilis.

(113) 1. Curt. X 1, 20: haec agenti Pori et Taxilis regum litterae traduntur, Abisaren morbo, Philippum, prae-

¹⁾ ὄντα σε τόπον ἐκείνῳ im Anfang erklären sich daraus, dass Philipp Aristoteles und seinem Schüler das stille Mieza als Wohnsitz angewiesen hatte (Plut. Alex. 7).

1) Adler p. 18 de re ipsa dubitavit, cum Dioxippi victoria et mors fabulis essent ornatae, sed dubito num iure.

fectum ipsius, ex vulnere interisse oppressosque, qui vulnerassent eum.

De re cf. supra p. 82 sq.

g) Calani.

(114) 1. Philo, quod omn. prob. lib. 14 p. 879:

Κάλανος Ἀλεξάνδρῳ

Φίλοι πείθουσι χεῖρας καὶ ἀνάγκην προσφέρειν Ἰνδῶν φιλοσόφους, οὐδ' ἐν ὕπνῳ ἐωρακότες ἡμέτερα ἔργα. Σώματα γὰρ μετοίσεις ἐκ τόπου εἰς τόπον, ψυχὰς δὲ οὐκ ἀναγκάσεις ποιεῖν, ἀ μὴ βούλονται, μᾶλλον ἢ πλίνθους καὶ ξύλα φωνὴν ἀφεῖναι. Πῦρ μεγίστους τοῖς ζῶσι σώμασι πόνους καὶ φθορὰν ἐργάζεται· τούτου ὑπεράνω ἡμεῖς γενόμεθα, ζῶντες καὶόμεθα. Οὐκ ἔστι βασιλεὺς οὔτε ἄρχων, ὃς ἀναγκάσει ἡμᾶς ποιεῖν ἀ μὴ προαιρούμεθα. Ἑλλήνων δὲ φιλοσόφους οὐκ ἐξομοιούμεθα, ὅσοι αὐτῶν εἰς πανήγυριν λόγους ἐμελέτησαν, ἀλλὰ λόγοις ἔργα παρ' ἡμῖν ἀκόλουθα, καὶ ἔργοις λόγοι βραχεῖς ἄλλην ἔχουσι δύναμιν καὶ μακαριότητα καὶ ἐλευθερίαν περιποιούντες.

Calanus unus e gymnosophistis, qui dicebantur, Indicis erat, qui inter comites Alexandri erat seque ipse concremavit in Perside; cf. Arr. VII 3; Diod. XVII 107; Strabo XV p. 686; 715 sq. Philo tradit Alexandrum Calanum sollicitasse, ut secum in Europam iret; cum autem ille condicionem repudiasset, Alexandrum per minas iecisse, se illum coacturum: tum Calanum epistulam illam, quam attuli, scripsisse. Epistula sine dubio est ficta, id quod recte vidit Westermann IV p. 5, neque digna est quae refutetur: ex ipsa comparatione philosophorum Graecorum cum Indicis perspicuum est epistulam esse commenticiam¹⁾.

Restat, ut epistulas, quas adfert Pseudo-Callisthenes, enumerem. Epistulas illas refutatione non esse dignas inter omnes homines doctos constat: valet de iis idem, quod p. 114 dixi; sunt autem hae: Aegyptiorum II 25, Amazonum III 25. 26, Atheniensium II 2 (duae litterae), Candaces III 18,

1) Cf. append.

Darei I 26. 36. 40. II 10. 17, Gymnosophistarum III 5, Olympiadis III 31, Parmenionis II 8, Polycratis Thessalonicensis I 26, Pori III 2, Rodogunes et Statiras II 22. Epistulas in collectione Salernitana III saepissime commemoratas non adferam.

Haec habui de Alexandri Magni epistularum commercio quae dicerem. Jam vero, antequam finem faciam, paucis complectar, quae ex disputatiuncula mea efficiantur. Atque id quidem demonstrasse mihi videor, falso homines doctos de Alexandri Magni epistularum fide tam male iudicasse, cum non solum epistulae, quas Arrianus commemoret, fide sint dignae, sed etiam aliae epistulae, quas alii scriptores adferant, sint verae, ut iis ad historiam Alexandri Magni conscribendam nobis uti liceat. Exempli gratia adfero epistolam de pugna cum Poro facta: quae in ea brevissime narrantur Arriani narrationi luculentae nonnullis in rebus praetulerim. Similiter ex Plinio itinerum Alexandri terminus mea quidem sententia optime definiri potest atque sine ulla dubitatione eum in historiam receperim licet nullius alius scriptoris melioris testimonio confirmetur. Neque aliter iudico de Hermolai coniuratione et de Callisthenis damnatione, de tumultu militum in Hyrcania, de caede Persarum in pylarum Persicarum expugnatione etc. Sed nolo exempla cumulare, cum ex disputatiuncula ipsa apertissimum sit quid sentiam. Ex epistulis illis, et ex publicis et ex privatis, ad Alexandri Magni mores illustrandos optimum fructum capere possumus. Discimus ex iis Alexandrum initio Graecorum rationem habuisse seque ducem eorum praestitisse, eum caste vixisse eundemque se in Macedones bonum regem, in amicos amantissimum, in praeceptorem piissimum praebuisse, postquam autem Asiae moribus se permiserit Macedonumque mores exuerit versa esse omnia: sic pactum Corinthium servare desiit, a Graecis divinos honores postulavit, e rege tyrannus factus est, Persarum more paelices spadonesque circa se amicos vero suos suspectos habuit atque vel ipse necavit vel subdola nece tolli e medio iussit, quin etiam post Callisthenis damnationem in simultate erat cum Aristotele atque calumniatoribus delatoribusque

fidem habere coepit, velut in Antipatrum, de cuius fide cur dubitaret nulla omnino causa erat¹⁾. Denique ex epistulis cognosci potest quanta fuerit epistularum et scriptarum et allatarum frequentia, sed, cum ex ipsis disputatiunculae meae argumentis id apertissimum sit, verbum non amplius addam. Itaque epistulas illas, quas quidem veras esse demonstravi, inter fontes primarios numerandos esse contenderim, quia saepissime cum optimis scriptoribus congruunt, nonnunquam etiam meliorem quam illi praebent memoriam; praeter veras illas epistulas etiam complures fuisse subditivas atque veras epistulas nonnunquam a scriptoribus esse mutatas et rhetorice exornatas supra vidimus.

1) Cf. etiam Nisseni verba Rh. Mus. XLVII p. 177: „Je mehr Alexander sich in die Rolle eines persischen Grosssultans einlebt, desto tiefer frisst das Laster, einem eklen Geschwür gleich in seiner Nähe um sich. Er bricht den Trotz seiner Edlen mit wilder Härte, lässt den Feldhauptmann Parmenion umbringen, durchbohrt seinen Lebensretter Klitos beim Wein mit eigener Hand, strafft den Freimuth des Kallisthenes 327 mit Ketten etc.“

Addenda.

Volkmannum, rectorem Portensem, nuperrime in codice quodam Mettensi Alexandri Magni rerum gestarum epitomam invenisse, quae duas exhiberet epistulas, dixit Adler p. 37, qui eas primus edidit. Ex duabus illis epistulis altera nihil est nisi Latine reddita epistula, quam Calanum scripsisse tradit Philo (cf. p. 159), quod vel primo aspectu cognosci potest. Adlerum, cui Philonis locus non erat notus, nimirum haec similitudo fugit. Jam vero liceat mihi epistulam illam ab Adlero editam adferre:

Philo.

Κάλανος Ἀλεξάνδρω. Φίλοι πείθουσι χεῖρας καὶ ἀνάγκην προσφέρειν Ἰνδῶν φιλοσόφοις, οὐδ' ἐν ὕπνῳ ἐωρακότες ἡμέτερα ἔργα.

Σώματα γὰρ μετρίσεις ἐκ τόπου εἰς τόπον, ψυχὰς δὲ οὐκ ἀναγκάσεις ποιεῖν ἢ μὴ βούλονται

Epit. Mett. XXII.

Indorum philosophi Alexandro Macedoni. Auditum est te ab amicis induci, nostris ut regionibus bellum inferas nobisque uti manus adferas, quibus nostrae modus vitae ne in somnium quidem venit unquam. Quibus si obedieris (cod. obiecerit: corr. C. Wachsmuth), corpora modo nostra loco movebis (cod. modis: corr. Volkmann), animos quidem neque deduces neque invites facere quicquam coges (cod. cogi: corr. Volkmann) vi maxima.

Si humanus, humanus inquam, super nosmet (cod. hosmet: corr. Volkmann) insedimus et corporis nostri partes si

partim movemus, quarum patriam esset potestas †. Quod vero divinitus tributum est, id potissimum in manu deorum erit. Nos quae cara (cod. nosque cura: corr. Volkmann) atque utilia in vita esse putamus, ea damus operam ut cognoscemus. Hisque gratis abutimur, quae ceteri non (Volkmann: om. cod.) possident, quae (cod. qua: corr. Volkmann) cum impensa consequi nequiverint, nos laudant libenter. Neque nos Graecorum philosophorum modo, qui verbis valent, sumus similes, apud nos digna verba factis, facta similia verbis existunt (cod. digna verba facti similia verbis existant: corr. F. Albracht). Itaque maximum pretium accipimus, quod veritatem ac libertatem habemus antiquissimum. Noli igitur vim adhibere his, quibus invites adimere nihil potes (cod. potest: corr. Adler). Haec si contra tendis iniustus atque alienus virtute videbere, quam viri boni colunt studiose.

Ἑλλήνων φιλοσόφοις οὐκ ἐξομοιούμεθα, ὅσοι αὐτῶν εἰς πανήγυριν λόγους ἐμελέτησαν, ἀλλὰ λόγοις ἔργα παρ' ἡμῖν ἀκόλουθα καὶ ἔργοις λόγοι βραχεῖς ἀλληγεῖχουσι δύναμιν καὶ μακαριότητα καὶ ἐλευθερίαν περιποιῶντες... (οὐκ ἔστι βασιλεὺς οὔτε ἄρχων, ὃς ἀναγκάσει ἡμᾶς ποιεῖν ἢ μὴ προαιρούμεθα)

† Verba epitomes sunt corruptissima; equidem ibi similia atque apud Philonem scripta fuisse coniecerim, id quod mihi verba „super nosmet insedimus“ indicare videntur collatis Philonis verbis „τούτου ὑπεράνω ἡμεῖς γενόμεθα.“ Quae coniectura si vera est etiam ordo sententiarum in utraque epistula idem est; sed pro certo hoc non contenderim. Utrum ea, quae in epitome Mettensi plura exstant, in Philonis exemplo etiam infuerint, necne diiudicari non potest; similia inveniuntur in sermonibus, quos gymnosophistis cum Alexandro fuisse referunt scriptores Ps.-Call. III 12, alii.

Ex eadem epitome Mettensi Adler p. 37 sq. Pori regis

Indorum ad Alexandrum edidit epistulam; de qua cum fere omnia, quae dici possunt, dixerit Adler, satis habeo paucis ea repetere epistulamque ipsam adferre.

Curt. VIII 13, 1 sq. Epit. Mett. 17. Ps.-Call. III 2.

Postero die Abisarae legati adiere regem. Quomodo omnia dicens, ita ut mandatum erat, permittuntur ad regem. Porum quoque nominis sui fama ratus ad conditionem posse compelli, misit ad Cleocharem, qui denuntiaret ei, ut stipendium penderet et in primo suorum finium aditu occurreret regi.

Porus Cleocharem interficit et ad Alexandrum hanc dat epistulam: „Rex Indorum Porus Alexandro dicit. Quisquis es, nam te audio procul opinor abesse satius est et alias miserias non alteri invidere (cod. invideri: corr.

προστάσω σοι ἀναχωρεῖν

Volkman). Porus ad hoc tempus victus dicitur. Darius me non vet. Proinde noli imperare, sed infer pedem in medium (meum Adler, male) agrum et cognosce me Indorum regem esse, mihi autem dominum neminem nisi Jovem. Et per ignem magnum caeli Porus iurat: si quem tuorum in meo agro deprehendero, eius sanguine meam hastam cruentabo. Ac tua bona servis meis dividam, nam mihi divitiae super-

Porus alterum ex his facturum sese respondit, ut intranti regnum suum praesto esset, sed armatus. (cod. confinis: corr. Volkman) praesto sim.

Abisaren fratrem suum legatum misisse scimus etiam ex Arriano V 8, 3; 20, 5; 29, 4, quod recte monuit Adler. Etiam quae scriptum legimus in epitome Abisaren legatum Alexandri remittere noluisse vera esse ex Arriano cognosci potest, qui ante pugnam cum Poro factam Abisaren copias suas cum Poro coniungere statuisse tradit V 20, 5 atque 29, 4 demum de legatorum Alexandri reditu narrat. Nicoclem, qui in epitome commemoratur, fortasse eundem esse at-

que trierarchum Alexandri (Arr. Ind. 18, 8) recte suspicatus est Adler. De Pori epistula brevissime mentio fit etiam in itineraio Alexandri III: „is ubi scit, Alexandrum ad sese moliri iter, absit obnuntiat. Ceterum valde doleo mihi epitomen illam praesto non fuisse, cum, quibus ex fontibus epitomes auctor hauserit, iucundissima mihi videatur esse quaestio.

Sententiae controversae.

1. Narratiuncula de Alexandro captivas Persarum feminas post pugnam ad Issum factam visitante sine dubio a Callisthene repetenda est.
2. Falso homines docti (Plass, Freeman, Klatt, alii) ex Plutarchi (Arat. 24) verbis: *οὕτω δὲ ἴσχυσεν ἐν τοῖς Ἀχαιοῖς, ὥστ', εἰ μὴ κατ' ἐνιαυτὸν ἐξῆν, παρ' ἐνιαυτὸν αἰρῆσθαι στρατηγὸν αὐτόν* (sc. Aratum), legem quandam collegerunt, qua strategi apud Achaeos creati sint.
3. Schoenleium (Diodorstudien, Berlin 1891) rectissime de Diodoro iudicasse atque dogma Clitarcheum pervertisse contendo.
4. Sicyon urbs vere a. 249 ab Arato liberata est atque se ad societatem Achaicam applicavit.
5. Oncken (Isocr. u. Athen p. 135 sq.) recte ex *ὑποθ.* ad Isocratis *περὶ τῆς εἰρ.* collegit impetum Charetis in Chium et Rhodum factum causam fuisse belli, quod Athenienses cum sociis gesserint. Cf. Demosth. or. XV.
6. *δόγματα* atque *φηφίσματα* accuratissime distinguenda sunt.
7. Falso W. Christ, Gr. Litgesch. (Iw. Mueller's Hdb. VII² p. 281) Herodoti matrem „Droio“ appellat, nam quin ei *Ῥοιὼ* nomen fuerit non est dubium.

8. Plutarchi apophth. reg. et imp. pro opere vere Plutarcheo habeo.
9. Hor. Carm. II 13, 15 codicum scriptura „Poenus“ adversus omnes fere editores cum Schuetzio servanda est atque vertenda „punischer Schiffer“ (Cf. Tyrrenum aequor Carm. IV 5, 1; Pontica pinus Carm. I 14, 1; Marsus aper Carm. I 1, 28; similia).
10. Kiesslingii explicatio verborum Horatii (Carm. III 6, 8) „Hesperiae luctuosae“ nimis arcessita neque verisimilis est („der römische Westen . . . der in Trauer um die im Bürgerkampf Gefallenen versunken ist“).
11. Falso L. Mueller, Sat. u. Epist. d. Hor., Wien 1891 Sat. I 1, 4 pro „gravis annis“, quod praebent codices, Bouhierii coniecturam „gravis armis“ in textum qui dicitur recepit.
12. Recte L. Mueller, l. l. Sat. I 3, 121 pro „non vereor“ — „nunc vereor“ scribendum esse statuit.
13. Apud Photium, bibl. 224 (F. H. G. III p. 538 XXV, 3) pro *στέφανον χρυσοῦν ἀπὸ ἱκανῶν ταλάντων* — *ἀπὸ ἑκατὸν ταλάντων* coniecerim (Cf. Pscall.; Jul. Val.).
14. Apud Plutarchum, Pelop. 10: *προῆλθεν ὁ Αρχίας καὶ Φίλιππος καὶ εἶπεν: „ὦ Χάρων, τινὰς ἀκήχοα etc. verba καὶ Φίλιππος* cum Im. Bekkero eicienda sunt.

